

\* P \* V \* I \* S \*

\* 1 \* 6 \* 2 \* \*

- I. Eximius Theologum Augusto Principi Anhaltine Muptas celebranti conseratum a M. Jacobo Womempiero.
- II. Causarum conjectio, quibus moti status Regni Bohemiae ad Novi Regis Electionem praeceperunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. Exercitiorum ad Christianum Danie Regem Jan. Angelii.
- V. Soleria Academie Wittbergense Johanni Georgio Electori his velata.
- VI. Idea Principis Boni seu Cratio de vita et obitu Joannis Georgii Principis Anhaltini M. Mees Frederici Wendlini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino dicitur. Edim.
- VIII. De vita et obitu Joannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Heroldiani.
- IX. Narratio Ubiq[ue] de Joannis Georgii Principi Anhaltini vita et obitu.
- X. Hali demia Tremenda Trauer funstancie D. Cyriaci Heroldiani.
- XI. Capitale Veranius egerter Christianus de vita et morte Georgii a Schonauis.
- XII. De Industria et Studio Latoris M. Samuelis Desenii.
- XIII. De Aetate Salubritate et Studiorum Commodeitate in valle Fraciniæ quædem.
- XIV. De creatione, utrum literatione Cultorib. p[er]h[er] peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottonicis M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De vita et morte Joachimi Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Festa Funeralia Joannis Eucharii inchoato inere sublati.
- XVIII. Programma Publicum Academie Trauer funstancie.
- XIX. Invitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Heroldiani.
- XX. De Ratione statut et Prudenti Regnacione Martini Althagi.
- XXI. De spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianij de sohischen
- XXIII. Exequie Solemne Joannis Christopri Heroldiani.

- XVIII. Justa Funeris D. Graci Heredesam Conjugis.  
XX. De Pestibus Studiorum M. Wulffori.  
XXI. De Expeditione Xeziis in Gracis Henrici Ritteri.  
XXII. Fodinii Apicis, v. Salzbölein.  
XXIII. Gymnasi Brandenburgi in valle Geruvim et Geer.  
XXIV. Gymnastica eiusdem Gymnasi.





*YF.*

*4*

I D E A  
**PRINCIPIS**  
BONI:  
SEU

O R A T I O

*De vita & obitu*

Principis Illustrissimi & genero-  
sissimi,

JOHANNIS GEORGII,  
Principis Anhaltini, Comitis Ascaniae, Do-  
mini Servestæ & Bernburgi, Senioris

Domus Anhaltinae:

*Qui dictis factisq; in privatâ & publicâ vitâ  
memorabilibus exactam boni Principis Ideam, sibi in me-  
moriam & eternam, Posteris in Exem-  
plum reliquit.*

Recitata

In Illustri GYMNASIO SERVESTANO,  
XXX. Junii, Anni MDCXVIII.

M. MARCO FRIDERICO VVENDELINO Palat:  
Gymnasii Servestani Rectore.

*Servesta Excudebat Zacharias Dörffer, Anno 1618.*

Illustrissimis & generosissimis Prin-  
cipibus ac Dominis:

DN. JOHANNI CASIMIRO,

DN. GEORGIO A RIBERTO,

Principibus Anhaltinis, Comitibus Ascania

Dominis Servestæ & Bernburgi, Fratribus,  
& Divi

## JOHANNIS GEORGII

Principis Anhaltini &c. Filiis, Dominis  
meis clementissimis.

Par Di<sup>g</sup>i JANINATORUM Illustris GEORGII,  
Te, CASIMIRE, volo, Teq<sup>z</sup>, A RIBERTE, volo.  
En fero quem nuper Patrem nox abstulit atra,

Et redit in vitam, post sua Fata, novam.

Eccui, quām Natis, post funera tristia, vivi  
Fama ferat potius nuncia signa Patri?

Inspicite has phylaras: stabilem spirantia vitam  
Pectora cernetis, Pignora chara, Patri:

Vis Fati violenta cadit, vis enthea in auras

Exiguā claudi nescia surgit humo:

Quem modo præparcis vinclum languentia membra

Arctabant spatiis, liber in orbe volat:

Magnates inter sua fortia prædicat aufa,

Ascanie Genium gentis ad alfra vehit.

Principis exemplar vobis se fistit ad unguem

Facti, quā incēsīt, vos jubet ire, viā.

Itē igitur, celse mentes, ite, error euntes,

Hoc Duce, nullus erit qui implicuisse queat.

VV: C.C:

Subiectissimus

M. Marcus Fridericus Wende-  
linus, Gymnasii Serve-  
stani Rector.

O.R.A.



# ORATIO

*De vita & obitu*

Illustrissimi Principis,

JOHANNIS GEORGII,

Principis Anhaltini, Comitis Ascaniae,

Domini Servestæ & Bernburgi, Senio-

ris Domus Anhaltinae.

**C**ives curas loqui, ingentes stupe-  
re, *Principum Illustrissimorum*  
*legati, Illustris & generose Do-*  
*mine comes, viri nobilissimi, amplissimi, re-*  
*verendi, Consultissimi, Clarissimi, doctissimi,*  
*prudentissimi, vosq[ue] studiosi juvenes*  
*ornatissimi, historiâ nobili, nobilis histori-*  
*cus Herodotus ostendit. Sed & memorabi-*  
*li idem exemplo docet, ingenti curâ atto-*  
*nitum in voces erupisse, cui vocis usuram*  
*negaverat natura. Creslus erat filius, cuius*  
*à primâ infantia nunquam audita vox.*  
*Cum verò, captis à Cyro Sardibus, stricto*  
*ad patrem ense ruentem videret militem,*  
*regii sanguinis sitorem, ruptis impedite*

A 2 linguæ

linguæ vinculis, exclamat:

*Δνθεωπε μὴ κτῖνε Κρῆταν!*

*O homo, ne Crœsum occide!*

Quam vocali patri formido vocem ademerat, muto filio, ingenti miraculo, dede-  
rat. Sors mihi, hâc parte, cum *Crœsi*  
filio penè communis. Infantiam in di-  
cendo meam lubens fateor: vocem mihi  
rumpi, nisi extrema fortean urgeat neces-  
sitas, difficulter patior, ut qui loquentes  
audire malim, quâm ipse loqui, gloriolam  
cum existimationis periculo conjunctam  
aliis gratulari potius gestiam, quâm, even-  
tu dubio, mihi exoptem. Attamen vo-  
cem elingui impræsentiarùm, non ob-  
stante periculi metu, rumpit decumana  
calamitas, quæ, cis brevia annorum curri-  
cula, antiquissimam & totius orbis conso-  
no ore celebratissimam *Anhaltinorum*  
*Principum* domum, admotis quasi fatali-  
bus arietibus, incursavit, arietavit, & par-  
te aliquâ, proh dolor! prostravit. Vocem,

in-

inquam, rumpit, & in hæc verba efformat.  
*Parcite Fata, parcite: Innocenti Anhal-*  
*tinorum Principum sanguine furori ve-*  
*stro ne parentate.* Sunt hi, qui pro tuâ,  
 ô Christe! gloriâ militant. Sunt hi, qui  
 Euangeli tui lucem, ante annos centum,  
 è Cimmeriis Papatus tenebris emicantem  
 primi admiserunt. Sunt hi, qui asyla Ec-  
 clesiæ tuæ, in hoc mundi angulo, excita-  
 runt, & adventanti tibi portas aperuerunt.  
 Sunt hi, quorum Majores in sacri ignis cu-  
 stodiâ omne æxum exegerunt, tibiq; totos  
 totos se consecrârunt. Sed, ô Christe!  
 quâm crebris vulneribus, quâm densis fu-  
 neribus infestare & funestare gentem hanc  
*Ascaniam tibi visum!*

ô qui res hominumq; Deûmq;  
*Æternis regis imperiis, fulmine terres!*  
*Quid pius Alcanides in te cõmittere tan-*  
*Quid nati potuere? (tum,*  
*Communia toti Anhaltonorum Principiū*  
*Familia Fata, quibus paucorum annorum*

lapsu exercita ingemuit, retexere jam nunc  
nec animus nec tempus est. Fecere alii;  
facient alii. Ad Illustrēm *Dessaensem Domum* nostra se convertit oratio. Et si præteritum & inveteratum penè dolorem sermone fas est instaurare, Manes tuos, FRIDERICE MAURICI, compello.  
*Quād tu terris offendis tantum!* qui undicimum vix dum ingressus annum paterna per vestigia ad avitæ gloriæ fastigia evenhi gestiebas. Vedit te *Gallia* oratorem supra ætatem animosum & felicem: Spiritus tuos Martios admirabunda vidit: Vidimus attoniti linguarum, literarum sacrarum pariter & profanarum mysteriis ingenti desiderio te inhiantem: Vidimus in hac humanâ humilitate & mortalitate nil nisi arduum & immortale spirantem: vidimus, cum Fati necessitatem subires, inexpugnabile animi in corpore minimo maximi robur: Vidimus, proh dolor! post erecta virtutis tuae tropæa mori ne-

scia,

scia, undecimo ætatis anno, inevitabili Fa-  
to in *Galliae* regno functum, mœstissimis  
parentibus in Patriâ defletum, humatum.  
Fas mihi sit & tuos compellare Manes, ô  
gloriosum quondam seculi specimen! JO-  
ACHIME ERNESTE: sed fas nomi-  
nare tantum. Nam si viantium more religi-  
osorum, cum sanctus fortè in via locus of-  
fertur, vel colliculus sepimine consecra-  
tus, vel truncus dolamine effigiatus, vel  
cespes libamine humigatus, vel lapis un-  
guine delibutus, ad nominis tui occur-  
sum religiosam mihi moram injici pate-  
rer, si tumulo tuo assidere, si votum postu-  
lare, si laudes tuas delibare animus esset,  
quis finis, quis modus, non verbis, sed fle-  
tibus, sed singultibus foret? Loquantur  
fortia tua facta fortis & Martiæ animæ: lo-  
quantur equitum peditumque, quos ve-  
luti terrifica procella turbine contorta in  
Juliacensi agro invasisti, türmæ. Cor-  
poris & gestuum decorem loquantur for-  
marum & gestuum arbitri: Unicum hoc

elo-

eloqui nostri jam est instituti, anno æta-  
tis tux vicesimo tertio, irreparabili jactu-  
râ, relicto tui apud Electores & Imperii  
Proceres impatienti desiderio, humanis  
te rebus exemtum. *Ettu terris offendit  
tantum! Fas sit & tuos, ô generosa Cattia-  
dum propago, OTHO!* (quidni enim huic  
quoque familiæ te accenseam, cui paucos  
ante menses nuptialibus votis jugali pacto  
insertus ut filius unicus unicè amabarisi?)  
Fas, inquam, sit & tuos in hoc theatrum  
provocare Manes. Grandia tua tenuis i-  
pse non aggredior dicere, ne ingenii culpâ  
deterantur, quæ culmen omnium laudum  
merentur. Unicum hoc dico, plagam  
tuam, eheu! validam & calidam bonorum  
pectorâ imitùs adhuc persentiscere: pau-  
corum dierum *viduam lacrymis arescere*  
nesciis & profundis gemitibus deplorare.

Hæc irati Numinis fulmina paucorum  
annorum decursu in hanc Familiam vibra-  
ta, quo vultu, quælo, quo animo, ô Prin-

cipum

cipum Generofissime JOHAN-G E O R-  
 GI! Pater intueri, & tui quoq; corporis ob-  
 jectu excipere potuisti? Quis validis adeo  
 lateribus, qui hisce arietibus admotis &  
 impactis non prosternatur? Quis animo  
 tam celso, & supra humanam sortem in-  
 fracto, qui tam sævo tempestatum turbine  
 ingruente, & fatalibus iætibus caput feri-  
 ente, non externetur? Sed poterant for-  
 tean Illustrissima Mater, Fratrumq; ac So-  
 rorum generosa pectora tot clades æquio-  
 ribus ferre animis, dum incolumem ac su-  
 perstitem Patrem viderent, hujusq; obtu-  
 tu se solarentur, & jacturæ aliquam certè  
 instaurationem expectarent. Quid si ve-  
 rò & Patrem animam agentem alpiciant,  
 si ultimas vitæ metas obiisse audiant, si in  
 funestissimâ orbitate omnem jacturæ in-  
 staurandæ spem præcisam intelligent, si in  
 tumulum inferri spes suas videant? Sed e-  
 heu! (animos ad tristissima excipienda,  
 Auditores, firmate) eheu! Maritum videt  
 conjux dilectissimum, Patrem thalami pi-

B

gnora

gnora suavissimū animam agere, ultimas  
vitæ metas obire, spes suas ex thalamo in-  
tumulum secum inferre.

Occidit, occidit Principum optimus, de-  
sideratissimus JOHAN-GEORGIUS! No-  
stras si cogitationes cōsulimus, haud equi-  
dem videntur in Numen tam benignum  
judicia tam severa posse cadere. Angelicas  
antehac salutationes cum *Gedeone Illu-*  
*strissima Dessaensis Domus* audivit fre-  
quentes, præsentiam Numinis clementem  
haud obscuris experta indiciis. Nonne  
vero, quæ humani animi est impotentia, in  
*Gedeonis* voces, luctu & mœrore diu-  
tino impugnata, & tantum non expugna-  
ta, possit erumpere? Si Dominus nobis-  
cum, eccur omnia ista nobis eveniunt?  
Sed bona verba. Justa sunt tua, Domine,  
judicia, injusti nos. Occulta tua ne scru-  
temur, nostris qui obvius est oculis, Princi-  
pem Illustrissimum JOHAN-GEORGI-  
U M, generosissimam illam & beatissi-

mam

mam animam, æquo obtutu, arbitemur.  
Utinam verò, ô Principum beatissime! vel  
idoneus virtutum tuarum præco, qualis o-  
lim Achilli Homerus, tibi obtingeret, vel,  
incolumi fronte ac pietate, honore sacri si-  
lentii luctum, exemplo ingeniosi pictoris,  
qui velo obumbrâsse dicitur, quod penicil-  
lo exæquare desperabat, obsignare fas es-  
set! Nec enim video qui verba possint sup-  
petere immensis rebus, cum animus etiam  
facundissimus ingenti mœrore circumfu-  
sus ægerrimè se possit explicare. Deterret  
me severa illa *Solonis* sanctio, quæ vetat  
*ne divina res in trāscursu fiat.* Nec igno-  
ro eam Principum virorum esse sentētiam,  
quæ olim *Alexandri Magni*, qui, ut tan-  
to certior posteris proderetur, imaginem  
suam à multis artificibus vulgo contami-  
nari noluit, sed universo orbi edixit, ne  
effigiem Regis quisquam vel æreduceret,  
nisi solus *Polycletus*, vel coloribus de-  
linearet, nisi solus *Apelles*, vel cæ-

lamine excuderet, nisi solus *Pyrgoteles*:  
Præter hos tres, si quis uspiam reperiretur  
alius sanctissimi Regis imagini manus ad-  
molitus, haud secus in eum ac in sacrile-  
gum vindicaturus. Sic & ab *Augusto* Præ-  
tores monitos loquuntur historiæ, ne pa-  
terentur nomen suum vel res gestas scriptis  
quorundam obsolescere, qui arte & elo-  
quio cæteris non antistarent. Sentio heic  
me tangi, & à beatissimo Principe quasi  
manus ad arduam hanc provinciam ægro  
passu tendenti injici. Sed cum solis pe-  
ctoribus rem doloris premere, & à poste-  
ris ingratæ taciturnitatis incessi turpe du-  
cam, supremum hoc humanitatis offici-  
um *piis Manibus* elargiri mœror meus ag-  
reditur, eâ fretus spe, fore, ut, quam lau-  
dem virium defectus abstulerit, pietatis,  
quæ sola in hunc me locum protraxit, af-  
fectus reddat. Vesta modo audienti-  
um benevolentia dicentem me & sub di-  
cendorum onere gementem sublevet ac  
sustentet.

Si

Si morem in funebris solennitatis  
obeundis receptum secutus Principis  
nostris laudes è *Majoribus* accersere, (cum  
nec hæ alienæ penitus sint) animum indu-  
cerem, principium invenire, quām mo-  
dum servare, & Orationis exitum evolve-  
re promptius esset. Quis enim ruditis adeò  
eorum, quæ ante nos fuere, quisve hospes  
adeò in annalibus toto orbe vulgatis, qui  
ignoret, *Principum Anhaltinorum* fami-  
liam ex *Ascaniâ* gente (quæ ab *Ascane*,  
unde & *Tuiscones* appellatos multorum  
scriptorum opinio est, filio Gomeri, Ne-  
pote *Japeti*, Pronepote *Nobæ* Patriarchæ  
familiam dicit) *Caycis* & *Cimbris* comi-  
tibus in Septentrionis plagas profectâ, &  
Harcynium nemus, volentibus ita fatis,  
sortitâ, auspiciis **BERNTHOBALDI**, I.,  
quem historiæ nominant, ab anno **CHRI-**  
**STI**, D., per annos plus quām M, conti-  
nuâ & nunquam interruptâ serie, in hunc  
usq; diem, descendisse: *Quis nescit, extin-*

et à veterum Marchionū Brandenburgensium familiâ , egregium ab*egregia* Brandenburgensium Electorum ad A I B E R T U M U R S U M Ascaniæ & Ballenstadii comitem, L O T H A R I O Saxone Imperatore fidem ac fortitudinem eius in intestinis Italiae seditionibus opprimendis & Saracenis expellendis, hoc Imperialis dignitatis fastigio, remunerante , transisse anno MCXLII? Quis nescit, B E R N H A R D O A L B E R T I filio, postquam F R I D E R I C I B A R B A R O S S Æ exercitum in Italiam duxerat, H E N R I C O G U E L P H O Saxonie & Bavariae Duce signa Imperatoris in Italia , seditione consilio, deserente & postmodum exautorato, in extremo Germaniae periculo , ditionem Saxoniam ad Albim & Electoratus insuper ab*egregia* ab Imperatore traditum anno MCLXXX? Quis nescit ab A L B E R T I & B E R N H A R D I posteris hanc ad Albim Germaniae oram

adver-

adversus Sorabos , Henetos , Bobemos ,  
 Polonos , Tartaros fortissimè & felicis-  
 simè defensam ? Taceo jam gloria alia  
 hujus Familiæ specimina , Arte , Marte ,  
 meritis in Imperium Romanum & CHRI-  
 STI Ecclesiam inclyta , quorum encomia  
 nullâ ingenii humani felicitate expleri  
 posse certum habeo .

Nec verò in materiâ adeò sterili versâ-  
 mur , ut *Majorum* duntaxat laudibus  
 Principem nostrum ornare , non suis , possi-  
 mus . Etsi enim *Avorum* imagines non  
 contemnimus , sed aliquâ etiam parte ad  
 posteros pertinere existimamus , illas ta-  
 men in Principe jaētare solas , nî pro-  
 priis virtutum tibicinibus suffulciantur ,  
 non tam laudi quàm fraudi & vituperio  
 ducimus . *Successionibus* quidem one-  
 ri , inquit *Alphonsus Aragonum Rex*  
*sapientissimus* , regna cedunt , honori-  
 tum demum , si virtute potius , quàm te-

stamen-

*stamento suscipiant.* Agite ergo suo Principe  
m nostrum cenu, & propriis opibus  
æstimemus. Adeste vos, ô Gloriosi Manes!  
& pietatis meæ vocem excipite.

Natus est Princeps noster, cui exequias ante paucos dies ivimus, cui justa, mœrore justo, jam facimus, VII. *Idus Maji*, anno supra millesimum quingentesimum sexagesimo septimo; (quo ipso quoq; anno Mavortius ille Heros *Mauritius* Nassoviæ comes, felicioribus libris æternum conditus, lucem aspexit) Patris JOACHIMI ERNESTI Principis Anhaltini &c. Imperatoribus Romanis *Carolo V: Ferdinando, Maximiliano II. Rudolpho II.* cunctisq; Imperii Electoribus & Proceribus gratissimi, ex HAGNE WOLFGANGI Comitis Barbiensis & Mülingenfis, quinq; Electorum Saxoniorum Consilia-rii, inclytâ filiâ &c: filius primogenitus: Florentissimo Principatu Anhaltino ad unicum JOACHIMUM ERNESTUM

reda-

redacto, & in recenti hoc surculo in spem novam immortalitatis erecto. Felicem illam diem & melioribus literis æternum prædicandam, quæ tanti Principis natalibus honorari meruit! Puerum credo nôste Principem, qui virum nôstis plerique, avetis. Viam pando, vos oculos & aures. Attamen qui puerum nôsse amatis, frustra estis. In ætate enim puerili vix quicquam puerile observatum; adeò adulta omnia, virilia, senilia pueriles monstrabant anni. Intra primi decennii cursum, ecquid nobis familiarius, quam

*Ludere par impar, equitare in arundine*

*undev Pegvæ, nihil sapere.* (longâ,

Idem de nostro Principe si fortean cogitatis, injuriam sublimi animæ facitis, & ex indolis nostræ angustiis, augustos Principis natales æstimatis. Decimum vix annum compleverat, cum sub imperio & Lare paterno *Theologiae, lingue Latinæ, Rhetoricae & Logicæ* spatia ita percurrisset, ut non

C

tyro-

tyronum tantum, sed & veteranorum sustinere vultus & congressus potuerit. Ex artium verò, quas triviales appellant, postquam pulvere emersisset, sequenti anno ad Mathematum evolare fastigia gestiit, tanto equidem successu, ut non tam assuefactione & institutione, quam indole, ad summa quævis anniti videretit. Sic enim in subtilibus mathematum studijs versabatur, ut ardentes sui amores, qui profectuum sunt indices *adrenaſi*, adolescentulo excitârint: quæ adeò pertinaci fovit studio, ut virilem quoq; ijs. & senilem ætatem, si quando à publicis curis inducias impetraverat, alere, & hoc quasi insititio ac regio otio negotiorum intervalla dispungere amaverit, eòq; tandem acuminis devenerit, ut de thematum & erectiōnum cœlestium artificijs non iudicare tantum accuratè, sed & in ijsdem laborare feliciter potuerit. Cum verò nō tam Reipublicæ regendæ, quam vel linguæ formandæ, vel menti erudiendæ artes hæ vi-

deren-

derentur inventæ, ita in iis versandum sibi  
duxit, ut non scholæ gubernandæ sed prin-  
cipati administrando natum se memine-  
rit. Ipso igitur illo anno ætatis XI. ad juris  
studium (quod Principi justitiæ arbitro &  
vindici, nisi potestate ad Reipublicæ per-  
niciem abuti velit, non tam decorum  
quam necessarium) animum appulit, &  
politicis monitis, prudentum curæ, jussu  
ductuque Patris, formandum se tradidit,  
planè ut omnes pueritiae scopulos, quibus  
adhærescentes juventutem alii, nonnul-  
li & senectutem consumunt, in primâ pue-  
ritiâ prætervehetur. Credo equidem,  
Auditores, portentis similia videri vobis,  
quæ memoro, & supra captum anno-  
rum puerilium ardua, quæ nostro Prin-  
cipi tribuo. Sed cogitare vos velim  
*infitos esse in homine*, ut Plato ait, à  
naturâ igniculos quosdam cœlestes, &  
semina quedam virtutum, quæ, si ado-  
leverint sedulo cultu, quam primum in

*optimam frugem evadant.* Meminisse  
vos velim, Principibus, & Anhaltinis in pri-  
mis, ad maxima quæque natis, & parenti-  
bus sæpe ante diem orbatis, flagitante ita  
publicæ rei usu, à Providâ naturâ ( quæ ne  
brutorum quidem pullis à primâ lucis u-  
surâ negare consuevit, quæ vitæ usus po-  
stulat ) in ipsâ pueritiâ infundi, quæ humi-  
lioris sortis mortalibus in adolescentiâ aut  
juventute vix instillari possunt. Adeò im-  
becillem esse Principum pueritiam natura  
non vult, ut, si cultura accedat, nullam sa-  
pientiæ sementem intempestivam esse si-  
nat. Hinc gentibus olim creditum nat-  
vitatem educationemq; Regum ac Princi-  
pum singulari Numinibus curæ esse, fir-  
mantibus sententiam hanc narrationibus  
de Romulo à lupâ, de Cyro à Cane, de A-  
bydo à cervâ nutritio.

Cogitare deniq; vos velim, Anhalti-  
nos Principes, cum Diogene, indoctum  
divitem inaurati velleris pecudem puta-

re, &

re, & malle cum *Magno Alexandro*, ut singulari disciplinâ, quam ingenti potentia, ceteros filii antecant. Si res flagitaret, ad testimonia vobis citarem, *Joachimos Ernestos, Casimiros, Christianos, Mauricos*, in quibus suas natura vires, ab unguiculis teneris, periclitata. Sed ad Principem nostrum revertamur, & quam corporis quoq; curam, ab animi laboribus cum respiraret, gesserit, curiosioribus oculis arbitremur. Scribit *Plutarchus* in VII. sapientum symposio injectam quæstionem, *Quænam maximè felix domus foret?* Sententiam *Thales* tertius dixisse hanc memoratur. *Ubi otio pingui Domino perfrui liceret.* *Thaletis* inscitus suffragator *Asclepiades* est, qui corporis exercitationes liquidò damnat. Nec Imperator *Galba* diversus ab his videatur abiisse; neminem enim otii sui rationem cogi reddere dictabat. Non ita

Princeps noster; qui cum Scipione nunquam minus otiosus erat, quam cum otiosus esset, quicquid è Catonis voto, non otiosus minus quam negotii sui rationes extare voluit. Et quidem negotiorum, quæ hanc in ætatem cadebant, intervalla, non mensulis & lychnidiis affabre struendis, ut *Aëropus Macedoniae Rex*, non herbis medicis impendiò excollendis, ut *Attalus*, non sagittarum cuspidibus rectè exacuminandis, ut *Parthorum Reges*, multò verò minus muscis captandis, ut *portentosus ille Imperator*, sed Rege ac Principe digna exercitia frequentando, equitando, arma tractando, venando complevit: iis ad oblectationem lectis exercitiis, quorum in rebus seriis ritè obeundis ingens esse usus possit. Et equitandi quidem rationem à teneris annis Principi addiscendam esse, Regum ac Principum formatores præcipiunt. Corporis enim ea vires roborat, generosos animo

Spi-

Spitus indit, & quod rei caput, usum in  
 militiâ ingentem præstat: Unde *Julium*  
*Cæsarem* puerum admodum equo insi-  
 dere ajunt consueisse: quâ postmodum in  
 re adeo agili corpore fertur extitisse, ut,  
 reflexis post terga manibus, equum salti-  
 bus cursibusque immotus ipse concitaret,  
 & è vectigio habenis regeret, vel in angu-  
 stum orbem circumflectendo, vel à præci-  
 piti cursu retinendo. *Armorū tractatio*  
 quâm digna sit Principe, non dispu-  
 to. Res ipsa loquitur: Quid enim tota belli-  
 gerandi ratio, cuius arbitrium in Principis  
 est potestate, quâm artificiosa armorum  
 tractatio? Ad *venationem*, quâ Prin-  
 ceps noster, à primis adolescentiæ tempo-  
 ribus, ad annos usq; canescentes, impen-  
 sè se oblectavit, me converto. Invenias rigi-  
 dos *Catones*, qui Principi non nisi Imper-  
 ii curis impollescere, & ne ad honestas qui-  
 dē voluptates divertere permittat; unde in  
 ore iis, nō ferarū sed hominū debere Prin-

cipes

cipes venatores esse, bos solos legum in-dagine cingere, pro his excubare, horum vitia & flagitia justitiae casibus excipere, internecioni dare. Iniquos curarum Principalium aestimatores! qui negotio-sum hoc otium Atticâ severitate multare audent. Anne ut arcus perpetuò tensos, ita & animos ad honestæ recreationis vices subinde non declinantes tandem vel rum-pi vel flaccescere ignorant? aut Principe prorsus indignum venationis studium arbitrantur? Vitione Pincipi vertant, quod gloriabundus ille apud Maronem Italus in Italicâ juventute commendat?

*Venatu invigilant pueri, sylvasq; fati-gant,*

(cornu.

*Flectere ludus equos, & spicula tendere  
Quod Diis inventoribus (sic enim de Jove & Diana veteres) hominibus, iis maxi-mè, qui Deorum in hisce terris vices gerunt, traditum ac relictum: Quod Regi-*

bus

bus olim *Cyro & Alexandro Magno*: Imperatoribus, *Adriano, Antonino pio, Maximiliano I.* & innumeris Principibus sine labore usurpatum; cum laude permisum. Nec est quod usu regiam hanc occupationem serio destitui fortean arbitrentur. Quæ belli expressior imago quam venatio? *Ducem sibi præficit venatio* (ut Regum ille Dictator Patricius eleganter describit) cuius dicto omnes auscultant: hostem excusoribus provocat: exploratores in speculis disponit: insidias abdit: apertum Martem simulat: divortia, que ad fugam patent, observat: per saltus & arva pedites premit: loca plana & aperta equitum alis præcingit: cornuum strepitum progressui receptuq[ue] canit: dat signa præde ac victoria: prædam adventantem aut evadentē significat: moveri castra indicate. In milite requiri scitis, laborum, frigoris, æstus, pluviarum,

sitis famisque patientiam. Nullum certe theatrum virtuti huic exercendæ aptius, quam nem⁹ indagine cinctum, hominum ferarumq; conflictibus frequentatum. Venatorem videas, ut de *Maximliano I.* literę meminerunt, ardua montium, lubrica vallium, roscida cespitū & globosa camporum emetiri, æstus, frigora, famem, sitim, solius spe prædæ, tolerare, nullos corporis labores vitare. Inde *Pelopidam Thebanum* primam militiæ, in quā excelluit, institutionem à venationis meditatione accepisse legimus. *Viriatum Lusitanum*, primum illum in *Hispaniā* magnum Ducem ex pastore venatorem, ex venatore Imperatorem factum historiæ testantur. Quod si à meditationibus & Imperii curis abstrahi fortean animum hoc exercitii genere arbitrere: En tibi *Plinium secundum juniores*, qui crebrò venationibus se interesse ad Cornelium Tacitum gloriabundus scribit, verbis planè me-

mora-

morabilibus. Mirum est, inquit, ut animus à cogitatione motuque corporis excitetur: jam undique sylva & solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt: proinde cum venabere, licebit, auctore me, ut panarium & lagenulam, sic etiam pugilares feras: experieris enim Dianam non montibus magis quam Mainervā inerrare. Sed de venatione plura, quam vel tempus vel locus requirat, dixisse non nemini forsitan videbor. Non poteram tamen pauciora, ut vel hinc etiā Principis nostri generositas estimaretur, quod virili hoc & negotiosissimo otio, post graviores curas, vel in primis se oblectare consueverit. Post curas, inquam, graviores. Nec enim intempestivorum quorundam venatorum more, ita πασίεγω huic operatus est, ut εγώ negligeret, vel posthaberet: quod Antiocho immodico studio venādi dedi-

D 2 to,&

to, & ad pauperum quorundam casam, errore venationis, delato & ignoto, à Rustico exprobratum *Plutarchus* meminit: sed *Adriani Imperatoris* exemplo ita venatus est, ut eorum, quæ ad Rem publicam administrandam & Principatus commoda pertinerent, nihil negligeret. Inde, postquam Principatus gubernandi curas agitare cooperat, Homericum illud

*σχετικῶν οὐδὲ βαληφόρων αἰδεῖ.*  
*Consilii antistes solidam ne stertito noctem*  
 & sibi dictum ratus, non recens nascentis auroræ jubar in lectulo præstolabatur, sed circa secundam vel tertiam matutinam se levabat, ante lucem vota nuncupabat, & lucem usq; ad adultam publicum cuiuslibet diei onus ponderabat. Prorsus ut imitatus mihi videatur magnum *Persarum Regem*, qui somno ad satietatem nunquam usus, hâc cubicularii voce,

*αἰδεῖσιν ὡς βασιλέως καὶ Φεύγοντες τῷρα γυμάτων  
 ἀντε Φεύγοντες ὡς μεσοεργασθῆσιν οἴδελος.*

*Surge*

*Surge Rex, & negotia cura, quæ curare  
te Meforomas des voluit.*

hâc, inquam, voce excitariante lucem vo-  
lebat. Sed maturum jam itinerum mole-  
stiis exantlandis, & Magnatum vultibus &  
congresibus sustinendis Principem vobis  
sisto. Noluit prudentissimus Pater, ut præ-  
ceptis saltem & exemplis domesticis optimæ  
spei filius ad virtutem formaretur: Ad  
Electores igitur & alios Imperii Proceres  
capacissimam indolem mature eduxit, ut  
& virtutum specimina edendo, & virtutem  
alienis exemplis & periculis confirmando,  
famæ pariter & virtutis numeros imple-  
ret. Quod equidem consilium ex animi  
voto successit. Sic enim repente Princi-  
pis nostri fama percrebescere, sic virtutum  
Principalium radii emicare, ut apud pa-  
res in honore, apud superiores in deliciis  
effet. Inerantei arcana quædam amo-  
ris & benevolentiae illicia, quibus igno-  
tos quoque sibi conciliabat: in ingressu  
gravitas, in congressu facilitas, in gestu

D 3 comi-

comitas, in *affatu* suavitas. His virtutum prærogativis incitatus JOHANNES GEORGIUS, (unde utrumque nomen nostro Principi) Elector Brandenburgicus ita juvenem in oculis ferebat, ut perpetuò latus ab eo sibi claudi voluerit. Cumque ingenium videret præcox & curia capacem prætextam Papirii hujus, veterum Romanorum more, ad secretiora consilia admisit, de gravissimis Imperii negotiis cum eo deliberavit, in virtutis stadio currentem crebro hortatu incitavit, ac, veluti Achillem *Phœnix*, aut Nestor Agamemnonem, instruxit. Hic nostri Principis se virtus explicare, & ingentia, è quotidiana praxi, incrementa capere, ut in juvenili pectore prudentiam senilem omnes admirarentur. Agnovère in Principe Argentoratenses generosissimam indolem non divinarum minus quam politiarum rerum sapientiæ decoram: Unde *Præpositi Cathedralis Ecclesia digni-*

tatem

tatem ultro ei obtulere; quam tamen non  
prudenti minus quam magno animo mo-  
deste recusavit, cunctis in Patriæ salutem  
cogitationibus versis.

Sed cum *Magistratus*, ut ille ait, vi-  
rum ostendat, & veluti

----- *Aggeribus ruptis cum spumeus am-*  
*nis*

*Exit , oppositasq; evicit gurgite moles,*  
*Fertur in arva furens cumulo , camposq;*  
*per omnes*

*Cum stabulis armenta trahit :*

Ita & juvenum, Principum in primis, quan-  
doque libidines severioris disciplinæ repa-  
gulis & paternæ indignationis metu com-  
pressæ, postquam purpurâ induiti & Prin-  
cipali potestate muniti, excussâ gubernato-  
ris formidine, ad publicæ rei clavum  
ipſi sedere cœperunt, simulatæ probita-  
tis larvam exuere, & in immensam licen-  
tiam, nullâ legum sanctitate circumscrip-  
tam, ut de *Antonino Caracallâ* &

*Justi-*

*Justino II.* Imperatoribus historiæ produnt, exundare soleant: Agite Principem nostrum patriâ potestate jam exemtum, & ab obtemperandi necessitate ad imperandi potestatem traductum contemplemur, virtutumque constantissimè cultarum indicia colligamus.

Non hîc vel *Caligule biennium*, quo exacto, *πηλὸς αῖματι συμπέφυεται*, hoc est, luttum sanguine subactum, à Præceptore *Theodoro Gadareo* appellatus legitur: vel *Neronis quinquennium*, à quo cunctos Principes distare *Sextus Aurelius* dicebat, quod scelerum immensa seges excipiebat: vel *Domitiani initia* occurrent. Principem vobis sistam, ut indefessa memoriâ Majorum facta & dicta in ipsâ pueritiâ adeptum, ita & in juventute nova facientem & loquentem, in sequenti ætate ex utrisq; se moderantem: verbo dicam, *constantissimum virtutis cultorem*.

Patre

Patre igitur JOACHIMO ERNESTO, anno salutis MDLXXXVI, (qui fatalis fuit Stephano Bathoreo Poloniæ Regi, Mahumeti Hodabende Persarum Monarchæ, Augusto Saxoniæ Electori, recenti genero JOACHIMI ERNESTI, aliisque Ducibus, Comitibus & Illustribus viris) functo Fatis, Princeps noster ætatis anno XX. inter fratres VII. superstites natu maximus Reipublicæ habendas capesit, nec non tutelam simul minorennum fratribus: quam tantâ deinceps fide & industriâ administravit, ut vivâ in fratre Patris imaginem pupilli conspicarentur & admirarentur: Ita non suis, sed fratribus commodis invigilabat, paternam hæreditatem fideli curâ amplificando, tenebam pupillorum ætatem ad optima quæque flectendo, exemplo suo & præceptis pietatem instillando, ad heroicas & Principali fastigio dignas virtutes inflammando. Rara, inquit Sulmonensis Poe-

E ta,

*ta, fratrum est gratia,  
Fraterno primi maduerunt sanguine  
muri,*

acclamat alius seculi labem notans. Egregium melioris seculi in hisce fratribus specimen! Natu majorem verebantur & reverebantur minores, non imperio severiore coacti, sed amore ardentiore adacti: minores ita amabat & colebat natu major, ut laudabili ambitione de amoris palmâ cum iis decertaret. Adeò verò profundas in adolescentia & juventute radices mutuus hic amor egit, ut in hanc usque diem floruerit, & suavisimorum fructuum preventu luxuriarit. *Hieronem Siracusanum Regem laudat Elianus*, quod sine omnijurgio cum tribus numero fratribus vixerit, mirum in modum ipsos amârit, & ab ipsis amatus fuerit. Quid si nostrum vidisset vel audiisset Principem, cum sex fratribus amicissimè viventem, & hos cum illo paria facientes? Perfectæ amici-

tiæ

tiæ fontes ad plures æquali ductu derivari posse philosophorum haætenu Scholæ vel negârunt, vel tanquam dubiæ fidei problema suspenderunt, quod eadem studia, iidem mores, eadem voluntas in pluribus simul pectoribus vel nunquam, vel rarissimè inveniantur. Liceat nobis, pace illorum, litem dirimere, & ardui problematis affirmationem, è *Principum Anhaltinorum* praxi, deducere: eadem erant in septem fratribus studia, iidem mores, eadem voluntas, quæ illibata in superstitionibus, duo enim jampridem mortalitati debitum exsolverunt, mansere.

Sed ad publicas Principis nostri virtutes, quas in Principatu gerendo exercuit, propiùs accedam. Protestor verò nec velle me, nec posse omnia virtutū documenta in theatrum producere: altioris enim hoc curæ & ingenii opus. Angustioribus cancellis meæ narrationis cursum circumscribam, ne aut vestrâ abuti patientiâ, aut unius vel alterius horæ angustiis augu-

stam Principis nostri historiam includere  
velle videar.

Vitæ conjugalis laudes nec persequi nec  
attингere mihi animus , cū prolixæ oratio-  
nis vel solæ hæ apparatum flagitent. Uni-  
cum tamen fortean minimè prætereundi  
videatur: quod utrumq; Principis no-  
stri conjugium : primum cum D O R O-  
THEA JOHANNIS ALBERTI  
*Comitis Mansfeldensis filiâ;* alterum cum  
DOROTHEA ( optimi & ejusdem o-  
minis nomina obſerveate : nec enim Prin-  
cipe nostro ulla videbatur digna fœmina ,  
quæ divini doni appellatione effet indi-  
gna ) JOHANNIS CASIMIRI  
*Ducis Bavariae & Electoralis Palatina-  
tus Administratoris,* Herois invictissi-  
mi, è CAROLI MAGNI prosapiâ, quæ  
in solis Palatinatus Ducibus superstes vi-  
get, filiâ unicâ initum, reciproci amoris æ-  
stu, numerosæ ac generosæ ſobolis proven-  
tu, perpetuæ castitatis, concordiae & fidei

nexu,

nexus, adeò felix extiterit, ut cum quovis seculi melioris exemplo contendì meritò possit. Sed, ut dixi, campum hunc non ingrediar, ne publica principalium virtutum documenta deesse mihi videantur, dum privata & domestica sollicitiùs conquirō. Novarum gubernationum in Regibus & Principibus juvenibus auspicia diligenter observari solent: sic enim fieri plerūq; amat, ut primi animorū impetus in ea effundātur, quæ vel naturæ instinctu, vel assuefactionis ductu amantur: unde infuturi regiminis omen à prudentibus accipiuntur. *Rehabeam* cum patri *Solomoni* in Regno succederet, sub ipsa auspicia, rejetis sanioribus seniorum consiliis, pessimi omnis documenta dedit. Nec omen eventus fecellit. Alius, alias hic Princeps noster. Cum enim indolis & institutionis paternæ bono prima Deo deberi officia agnosceret, *veterum Romanorum* more, qui quotiescunq; ad consilium conveniebant, partes primas cultui divino dabant,

E 3 & de-

& deliberationum exordia à religionis curâ sumebant, *Regumq; Israëlis* piorum *Josaphati, Ezechiæ & Josiæ* exemplis ad Dei cultum se convertit, illudq; *en theo deo* symbolum ore & opere comprobavit. Anno namq; ætatis XXI. (credo quod & *Josiam* anno ætatis XX. piæ huic curæ operatum legisset) qui salutis MDL XXX VIII, inter ipsa regiminis initia, ad cœptæ à Patre JOACHIMO ERNESTO, Avo JOHANNE II: Patruo magno GEORGIO, reformationis telam pertexendam magno animo aggressus est. Utque *Josias* Jehudam & Hierosolymam ab excelsis, à lucis, simulacris & sculptilibus mundavit: sic & hic noster *Josias*, quicquid Pontificiarum reliquiarum in Ecclesiis reliquum fecerat priorum temporum difficultas, ardenti Zelo, abrogare & ejicere adortus est. Vedit hic annus, & qui exiguò eum secuti sunt intervallo, auspiciis *Josiae* nostri, *Sacramenta* novi fœderis

nitori

nitori suo & simplicitati primævè restituta;  
*Exorcismum* magico ritui quàm Ecclesiastico similiorē , veluti supposititium Romanæ Synagogæ partum , ad monstrosam suam matrem ex *Anhaltinatu* relegatū : Fractionē dominici panis, jubente CHRISTO, Senatu populoq; primitivæ Ecclesiæ approbāte, & insigni insuper mysterio sua-dente, ab exilio tristi revocatā: *Imagines*, idolatriæ exercēdæ instrumēta, fententiā ferente Sacrâ Scripturâ , perpetuo exilio multatas: quicquid deniq; Dei verbo , in doctrinâ vel ritibus, adversum, ignotū, & à Pontifice Romano assutum, procul, procul abactum. Nec est, quod quis fortè arbitretur, in altâ Ecclesiæ pace , nemine refragāte aut obnitente, hæc talia à Principe nostro affecta & cōfecta. Erant enim tempora ista quorundam Harmostarum dissidiis adhuc divexata & exulcerata , adeò ut mirum in modum puriores Ecclesiæ premerētur, eaurumque nutritii à maleferiatis quibusdam seditionum tubis & flabellis apud Imp.

rii Proceres exosi redderentur. Hinc, mis-  
sis legatis, cum Principe nostro nonnulli  
expostulare, facti rationes postulare, &  
ab instituto dehortari: Quibus tamen, au-  
xilio divino fretus, *Josias* noster ita se  
purgavit, ut constantiam admirarentur &  
pietatem venerarentur cuncti. Intellige-  
bant enim non partium, sed veritatis stu-  
dio duci Principem, nec ægrè, sed rectè fa-  
ciendi animo, reformationis operi accin-  
ctum: nec leviculis fortean hierophanta-  
rum quorundam susurris permotum, sed  
veritatis scientiâ & conscientiâ impulsum.  
Nec enim in more *Principum Anhali-*  
*norum* positum est, ut tædio investigan-  
dæ penitus veritatis cuilibet opinioni tem-  
erè potius succumbant, quam in explo-  
rando pertinaci diligentia perseverent, ut  
illustribus documentis beati illi literato-  
rum & religiosorum Principum Dictato-  
res ADOLPHUS & GEORGIVS, am-  
bo Præfules *Mersburgenses* & Principes  
Anhaltini testatum fecere. Publica hæc

pieta-

pietatis tropæ à sinceræ & neutiquam fucatæ pietatis animo in Ecclesiis excitata, domestica & privata Principis testatur de-votio : sacrarum literarum leætio quotidiана , intellectio exquisita , concionum sacrarum auditio sedula & attenta , collo-quiorum de rebus Theologicis frequen-tia , insignis erga verbi ministros benevo-lentia , ingens de scholarum & hujus in pri-mis *Gymnasii* successibus sollicitudo . In *Gymnasii* nostri mentionem cùm inci-derim , non possum , quin egregia Princi-pis in id merita deprædicem : nam & hæc religiosi animi affectum loquuntur . Fun-daverat *Gymnasium* hoc *Servestanum* beatissimæ memoriae Pater JO A C H I-MUS E R N E S T U S , conjunctis dua-bus oppidanis scholis , & viris , ad sublimio-res operas ritè obeundas , invitatis ac voca-tis : plura in id beneficia collaturus , nisi præmaturâ morte recenti adhuc scholasti-cæ rei fuisset præceptus . Optimo Patri , ut in Principatus administratione , sic & in

F scho-

Scholarum curatione succedit Filius optimus, Princeps noster, qui, cum innumeris aliis difficultatibus, tum & pauperie, eam, quae ad eruditionem & virtutem ducit, viâ saepenumero obsitam & occlusam videret, de mensâ & hospitio liberali iis, quorum supellex curta, & accisa domi res, aperiendo, in novae gubernationis ingressu, anno MDLXXXIX deliberavit, eiusdémq; anni IX Martii, initium cibationis faciendum curavit. Cujus equidem beneficij memoria, dum melioribus *Musis* hic locus sacer, nunquam est intermoritura. Tu verò Princeps beatissime, cum illustri hac tuâ munificentia, ad Christi præscriptum, thesaurum in cœlo tibi collegeris, quem nec tinea nec ærugo absumet, quem nulla furum manus attinget, lætissimâ illam æterni Regis vocē, cum Patre beatissimo, exaudies, *Venite benedicti Patris mei, posidete regnum, quod à jacto mundi fundamento vobis præparatū est; esurivi; et cibâstis me;*

sitivi,

*sit i vi, & potâst is me: hospes fui, & exceptis me.* Nec satis habebat Princeps noster corporibus juvenum ritè prospexit, sitim famemq; liberali mensâ propulsâsse: animorum potiorem longè curam gessit, ne vel pravæ educationis vitio corrumperentur, vel præposteræ institutionis malo ad ignorantiae scopulos perpetuò adhærent. Hanc igitur in rem non ita multos ante menses, cum Illustrissimis fratribus, Dominis nostris Clementissimis, morbis, qui illustrem scholam hanc haud leviter afflixere, remedia festinavit, legibus tam docentium quâm discentium operas salutaribus circumscriptis, dissidii formidinem prudenti consilio sustulit: denique quod ad vineam hanc excolendam, & uberem eruditioñis ac virtutis vindemiā colligendam faceret, nihil prætermisit. Nec certè spem eventus frustrabit, si docentium votis & laboribus discentiū responderint opera, si patriæ scho-  
læ bonum agnoverint cives & Anhali-

natus incolæ , suosq; filios arctiore disciplinâ , intra suos quasi lares , constringi , quâ in patentes *Academicæ licentiæ* campos evagari maluerint ; si denique ii , qui studiorum suntrudes , literarum profani , expertes artium , nisi fortè sordidarum , de rerum scholaſticarum summâ , quâ de tot seculis jam ipsa Philosophia deliberat , decernere & docentes turbare abstinerint .

Vidistis Principis nostri pietatem foris radiantem , domi micantem , ita utробique illustrem , ut omnes explêsse numeros meritò videri poscit . Sed agite è pietatis sacrario in templum justitiae ingrediamur , & , ut pietatis in D E U M , ita & justitiae in homines officiis Principem nostrum functum ostendamus . Ardua certè res *Justitia* , quæ , ut universi sibi gubernacula depositit , ita in Principum maximè palatiis coli expertit , Reipublicæ habenas moderari gestit , cogitationum , consiliorum , dictorum , factorumq; censuram

sibi

fibi sumit. Aquilas pullitiei suæ ingenuitatem & generositatem explorare scribit *Ælianuſ*, converſis infulgidum ſolis jubar implumium oculis; quod ſi abq; nictatione admittant, in genuinæ ſobolis numero habent & fovent: ſin verò ægrè radios intueantur, & nictando oculos obnubant, veluti adulterinam & ſuppoſitiam problem nido expellunt & deferunt. Haud abſimiliſ boni Principis explorandi ratio eſt. Nam ſi irretorto oculo justitiæ, quam *Peripati Magiſter Hefpero & Lucifero* ſplēdiōrem eſſe ait, obverlam facem faciemq; ferat, Princeps eſto, & auguſtis na- talibus dignus judicator: Sin verò radian- tem eius vultum non ſuſtineat, oculos oc- cludat, & tenebrarum latibula quærat, in- dignus Principali fastigio habetur. Agite ergo, fulgidū justitiæ jubar Principi noſtro obvertamus, & inconnivos eius oculos ad- miremur. Qui justitiæ recessus curiosio- ribus oculis arbitrantur, primas eius par-

tes in homine exerceri cum *Platone* judicant. Sunt enim Principes animæ potentiæ duæ, *Ratio* & *Appetitus*: Illam veluti in solio natura constituit, & jus præsidi di ac imperandi concesit: istum ad subsellia quasi inferiora depresit, ut rationi obediens, eiusque imperata facere suarum esse partium agnosceret. Quod si ergo in solio constituta ratio titillantem retundat appetitum, si justis imperii vinculis coerceat, si per naturæ imbecillitatem palantes dilapsasque eius vires ad signa mature revocet, justitiam oriri *Plato* dicit: Sin dejectam excussamque gradu rationem imperitantem obsternat obculcerque appetitus, turbari suavissimum illum potentiarum concentum, & injustitiam enasci idem dictiat. Sapientis hoc oraculum laudat Princeps noster, hujusque arbitrio se facilè permittit, ut internæ justitiae laudem auferat. Quas enim rationi habenas natura in appetitum commisit, appetitui Princeps non permisit; victoriam

ab

ab appetitu subjugato & domito reportata  
tum omnium præclarissimam æstimavit:  
affectionibus non indulxit: gestus, dicta & fa-  
cta ad honestatem omnia composuit: li-  
bidines compressit: exundantes irarum  
fluctus compescuit, &, quod rei caput est,  
ne à se ipso laderetur, impensè curavit.  
Hæc affectionum moderatio in Principe vi-  
ro si occurrat, admiratione digna à sapientibus  
censetur. Privatum & humilioribus natalibus obscurum necessitas  
per numero & occasionum penuria intra  
rationis sanæ gyrum coerget: Principem  
non nisi indoles & propensum in virtu-  
tem studium. Quis enim nescit quam  
varia & periculosa, in omni Magnatum  
vitâ, ad vitiorum & injustitiæ in primis  
Syrtes sint præcipitia? Ad luxum fa-  
stumque si inclinant, præstò sunt luxus fa-  
stusq; instrumenta ad omnem nutum pa-  
ratisima. Si irâ effervescent, quis pœ-  
næ metu furorem coerceat? Si libidi-  
ne (quam arcem omnium malorum Di-

oge.

ogenes appellat ) exardescunt , nulla legum repagula obstant . Si ad explendas libidines ministeria desiderant , en promta parataquē vitiorum mancipia , quæ gratiam Magnatum turpibus obsequiis mercantur , illecebras omni studio conciliant , nova voluptatum genera anxie indagant , impuro ore Dominum collaudant , & ab omni virtutis ac justitiæ tramite quam longissimè abducunt . Exaudias etiam quandoq; infelicem matrem filio admirantem , si libet , licet : an nescis te Imperatorem esse , & leges dare , non accipere ? Et Gnathonem è scenâ acclamantem

----- *Sanctitas, pietas, fides,  
Privata bona sunt, quæ lubet, Reges eant.*

Tantè molis est illibatam ac incorruptam , in tantâ illecebrarum affluentâ morumq; licentia , rationem servare , eiusq; imperio appetitum subjugare ! Prima hæc justitiæ laus est , quam , è Platonis judicio , Prin-

ceps

ceps noster sibi vendicat, & internæ justitiae cultor merito suo audit. Hæc verò postquam in animo radices egit, prænobilis duos ex se ramos gignit, quorum uberrimi fructus in vitam civilem & judiciorum administrationem diffunduntur. Unde *justitiae* quoq; *civilis* & *judicialis* in Principe bono requiritur observantia; quæ tanta in nostro fuit Principe, ut, veluti *Aristides*, justi cognomento insigniri, nemine refragante, meruerit. Si ad eos mihi sermo esset, quos omnium dictorum & factorum consciens Princeps habuit, facili me negotio expedirem. Quærerem, quem unquam læsisset Princeps noster? cui suum non tribuisset? cui suum eripuissest? cuius beneficia liberali mente manuque non compensasset? quem præter merita vel evexisset, vel depressisset? Quærerem securus adeò, ut obloquentem aut querulam nullius vocem extimesceré. Sed cum videam adesse, qui, quod spectatores & admiratores tantæ æquitatis ipsi non

G

fue-

fuerint, evidentiora sibi documenta dari  
expetant, haud invitus morem gero, di-  
ctisq; fidem facio. Qui justitiae rivulos ad  
alios, in civili vitâ, derivari non patiuntur,  
fœdâ vitiorû eluvie obstructos fontes pos-  
sident. *Vespasianus Princeps cætera to-*  
*lerabilis, at avaritiæ laborans malo, acer-*  
*bus in tributa (nam & urinæ vectigal*  
*excogitavit) rapacissimum quemque ad*  
*amplissima munera & magistratus eve-*  
*xisse legitur, ut locupletiores factos majori*  
*pecuniâ emûgere & exhaustire posset: unde*  
*vulgò dicebatur amicis pr spogiis uti, qui*  
*siccios madefaceret, turgidos exprimeret.*  
Non ii Principis nostri mores, qui ab ava-  
ritiæ labo purus, nec alienis opibus, per i-  
niquam tributorum exactionem, locupletari,  
nec oblatis occasionibus ad furtâ in-  
vitare uncas rapacesque manus voluit:  
præsentibus acquievit, optimos quosque  
ministerio suo elegit, sublestæ fidei ho-  
mines execratus & aversatus, nullius Ca-

lami-

lamitate delectatus. Vix ulla in Principe  
pestis & sævior & ad divinas humanasque  
leges violandas promptior , quam iracun-  
cundia, modi nescia. Hâc incensus *A-*  
*lexander* telo *Clytum* amicorum inti-  
mum trajecit : hâc efferatus *Dionysius*  
*Siracusanus* dilectum à se pusionem pu-  
gione transegit : hâc *Saul* inflammatus  
quid in *Davidem* non tentavit ? hujus  
œstro *Sylla* percitus lusum jocumque  
cruores, cædes, uncos & secures duxit, tan-  
demq; , ruptis, per immoderata & iracun-  
dæ vocis impetum , præcordiis, spiritum  
cruore mistum exhalavit. Quanta verò  
in nostro Principe animi moderatio? quan-  
ta irarum continentia? Noverat Princeps  
sapientissimus ex Platone , quò quisq; na-  
turâ generosior, eò minus irasci: & è Py-  
thagoricæ scholæ præceptis, nihil unquam  
per iracundiam dicēdū aut faciendū: imo  
è divinis oraculis, viri irā non facere, que

*coram Deo justa sunt: quibus mansuetudinis & clementiae præceptis à primis pueritiæ annis imbutus, nihil unquam per iracundiam, cuius penitudo eum subire potuisset, dixit aut fecit: sed legum se similem esse voluit, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.* Denique libidinum flammis ita Magnatum quandoq; pectora exardescere, ut in publica incendia erumpant, & Dei, naturæ ac hominum jura nefario ausu subvertant, illa Imperatorum portenta, *Tiberius, Caligula, Nero, Domitianus, Commodus, Heliogabalus* nefandis prorsus exemplis testantur. Hanc portentosam iustitiæ labem totâ mente aversatus Princeps noster, cœlibem, maritalem ac viduam vitam ita transegit, ut illibatae castitatis laudem ex hac mortalitate secum abstulerit. Nec verò suppliciorum se immanitate oblectavit, exoratu facilis, ad veniam pronus, si legum sanctitas & delictorum ratio permetteret.

Quod

Quod si tamen justissima legi sententia reddenda esset , naturæ nihilominus , cum Biante Prienæo , miserationem reddidit : à cruento & cæde abhorruit. Noverat enim optimus Princeps humanum sanguinem in conspectu Dei rem pretiosissimam esse. Noverat in capitis sententiâ ferendâ non animum vindictæ cupidum , aut præjudicio crudeli laborantē , ( quo indelebiles sibi notas inusserunt *Sylla*, qui voluntario judicio quadraginta millia civium Romanorum peremit , & *Mithridates*, qui unicâ epistolâ octuaginta millia civium Romanorū trucidavit , ) sed leges ab omni affectu immunes esse consulendas. Quibus equidem Princeps noster adeò se voluit obnoxium , ut contra honestatem aut jus minus sibi quam subditis suis licere arbitraretur : sic enim beatum se , & omnium felicissimum , cum *Egyptiorum Regibus* , futurum sperabat ; sanctum inviolatum illud *Romani Praetoris edictum* ,

G 3 curia-

curiarum foribus inscribendum, *Quod quisq; juris in alterum statuerit, ipse quoq;* eodem jure utatur, judicabat. Non enim ignorabat, quod à Platone & Socrate pronunciatum, *Principes longè magis exemplo, quam culpâ peccare, & rectè a se fieri subditos arbitrari, quæ Principis exemplo fiunt: Quod si pravum fuerit, non instillari, sed in fundi in Rempublicam vitia.* Fidem faciunt omnium temporum experimenta, & innunera in utramque partem exempla. Unde vox illa à Theodoro Gotthorum Rege fidenter admodum pronunciata, *facilius esse naturam errare, quam ut dissimilem sui Princeps posit Rempublicam formare.*

Sed severiorem hunc justitiæ vultum benigniore mansuetudinis & humanitatis radio collustremus ac temperemus. Nam & hanc in Principe bono requiri palam est: cum hujus ferè solius ope veter-

rum

rum Imperatorum & Principum nonnulli augusto *Patrum Patriæ* titulo salutari meruerint. Nec enim Patrem appellare consuevimus, qui affectu erga sobolem naturali excusso, omnique prorsus humanitate ejuratâ, nulla vel benevolentiae vel mansuetudinis promit indicia, sumque in sobole speciem aut odit aut negligit: imo monstro potius, cui inducta modo visatur humana pellis, similem judicamus. Est vero is humanitatis genius, ut in eadem cum fastu sede non moretur, animum non nisi humilitatis ornatu insiginem ingrediatur. Quo equidem Principem nostrum ad invidiam decorum pronuncio: Etsi enim in Deorum se numero collocatum, ex illo *Psalmi dicto*, DII ESTIS, & inter nubila quasi caput condere non ignoraverat, ut hominem tamen se moriturum, & solo ingredi, etiam nomine mortalitatis & humanæ fortis conditionem, ut de *Philippo Macedonum Rege*

histo-

historiæ produnt, inculcante, quotidie meminerat. Oraras & felices tanti fastigii curas! Quid enim est, quæso, quod purpurae gravius exerceat, & in periculosiora præcipitia abripiat, quam mortalitatis & fortis humanæ oblivio? *Caligula, Domitianus, Heliogabali & Herodis* divinos sibi honores decernentium & insolenter efflagitantium horrendos casus non attingo. *Babylonii Regis* intolerabilem & inhumanum fastum, quam gravi comminatione compresserit Deus, audite. *Dixisti in corde tuo cœlum ascendam, supra stellas Dei exaltabo solium meum, & sedebbo in monte Ecclesiæ, in lateribus Aquilonis, ascendam supra altitudinem nubis, assimilabo me Altissimo: veruntamen ad infernum detraheris, ad latera sepulcri.* Non hæc formidanda erat Principi nostro vox, qui è Scripturæ Sacrae fontibus & seculorum omnium historiis saluberrimam

affid

hanc

hanc doctrinam hauserat, fastuosos ignominioso exitio destinari, humiles divinâ gratiâ bearci. Hanc vitæ morumq; Cynosuram infallibilem habuit. Humilitatis huic fundamento egregiam humanitatis molem superstruxit. Magnum Sinarum Regem (cujus regia LXXIX amplissimas aulas continet, è quibus præ reliquis admirandæ quatuor, una ære, altera argento, tertia auro & encausto, quarta unionibus pretiosissime gemmis tota undiq; instrata) nullo Solis lumine spectandum se præbere scribit Antonius Pigafetta: si colloquii aut legatorum audiendorum gratiâ adeatur, ingentem serpentinum miro artificio elaboratum & in Palatinâ areâ locatum ingredi, per fenestellam serpentis pectori insertam loquentes quidem videre, sed ab iis non videri. Intolerabilem hunc fastum è politicis qui commendent non defunt, dum nec è re nec è Majestate Principiū esse dictitant, si subdi-

H tis

tis se s̄epius visēdos exhibeant, si ad colloquia abjecta sortis homunculos admittant. Ita scilicet humanitatem ejurando & mortalitatis memoriam delendo ad astrā iri insolentiæ magistri opinantur: à quibus nunquam satis laudato exemplo principalium virtutum *Dictator nōster* longissimè abiit, nullāq; re magis cōmendari augusta nomina existimavit, quām si Numinis se sorte inferiora arbitrarentur, & Numinis nihilominus φιλαθεωπίας æmularentur, quod solis sui radios ex æquo montium arduis & vallium imis infundit, aditum nemini occludit, alloquium & aspectum nullius designatur. Ita terrenum quoddā Numen felici æmulatione exprefsit humanissimus Princeps nōster. Quām enim, Deum immortalem! in alloquio facilem & comē se præsttit? Quām adventantibus occurrit? Quām cunctantes provocavit? Quām liberas linguas amavit? Quām hæsitanentes expedivit? non mediætantū sortis, sed & infimæ, quibus non nisi parendi

partes

partes reliquias fortuna fecit. *Trajanum*  
 scribunt, cū ab insolentiorib<sup>g</sup> aulicis fortè  
 reprehēderetur, quod majestatis sue im-  
 memor cum subditis nimis familiariter a-  
 geret, respōdisse: *Talem me Imperatorem*  
*præstabo, qualem privatus ipse mihi exo-*  
*ptarē.* Digna profecto Imperatore vox,  
 & æquitatis plenissima. Nec enim boni  
 viri, ne dum Principis tueri nomen potest,  
*qui, quæ fieri sibi nolit, alteri fecerit.*  
 Non est, Auditores, non est, ex omni sub-  
 ditorum numero, qui hanc *Trajano* no-  
 stro humanitatis laudem possit negare: qui  
 benignissimas Principis aures querimoniis  
 suis occlusas possit queri: qui naufragio  
 suo hunc clementiæ & humanitatis por-  
 tum præclusum ausit affirmare. Tam in-  
 citatæ non erant volantis currus quadri-  
 gæ, quin subditi acclamantis & opem po-  
 lscientis vox, sub dio, sisteret, & humanissi-  
 mi Principis responsum auferret. Si quos  
 fortè doloris rem premere, & accessu, ex

innatâ verecundiâ, aut Majestatis reverentiâ, prohiberi suspicaretur, cunctantes ultrò compellabat, literas comiter postulabat, trepidantes animabat, ratus cum Augusto Imperatore, non decere Principem literas & supplicationes suorum excipere, veluti leones & Elephanti cibum, cum exhibentium periculo. O Principem, quem vel omnibus seculis oportuit nasci, vel nunquam denasci! Quo tandem eloquio humanitatis & comitatis tuæ laudes, ô Principum humanissime! æquabimus? Cesari templum commune cum Deâ clementiæ populus Romanus condidit, plebs solidam ei è Numidico lapide columnam in foro statuit, hâc insignem inscriptione, PATRI PATRIÆ. Hoc clementiæ tuæ templum non est quod mortuo tibi condamus, ipse vivus in subditorum animis tibi excitâsti, quod nulla labefactabit vetustas, nulla temporum injuria vastabit. Honoris tui columnam ple-

becu-

be culam tuam habes, quæ PATRIÆ PATERM te salutat, & immortalitati humanitatem tuam consecrat. Non poteras, ô Principum humanissime! (liceat enim hoc te cognomento sæpius compellare, quod & Maximiliano II. honorificum fuisse accepimus) non poteras aulâ tuâ pedem efferre, & subditorum tuorum tuguria præterire, quin in votivum conspectum tota se civitas, pagi toti effundent, quin euntem faustissimis appreciacionibus prosequerentur. Si quando Principium negotiorum moles diutius te domi detineret, & ad dies aliquot colonorum aspectui subtraheret, quam solicita tui cunctos tenebat expectatio! quam adventus tui rumusculos avidè omnes captabant!

*O fortunatā natam, te Principe, Dessim!*  
Nam si Cleobulo sapienti felicissima ea domus est visa, in qua multò plures essent, qui Dominum amarent, quam qui formi-

H 3 da-

darent: ad tuæ felicitatis cumulum quæ fieri potuerit accesio, si magno nomine sapientis standum, equidem non video. Qui enim Principem tuum formidaret, nemo erat, nisi fortè scelerum cōscientiâ oppresus justitiam vindicem horreret: Qui amaret, nemo non erat: adeò quidem *ut securō*, quod Principem quendam gloriai solitum novimus, *in cuius vis subditis si- nu cubare licuerit & dormitare*. Magnū certe innocentia hoc argumentum, & præclarissimæ conscientiæ indicium, quo de gloriari olim *Dionysio Syracusano*, Principi cætera non cōtēnendo, haud licuit: qui adeò subditorum suorum formidabat cōmercia & cunctis mortalibus diffidebat, ut, prætonorum metu, filiabus tandem barbā non cultro radendam (suspectā enim & filiarum fidem habebat) sed cādentiū juglandium putaminibus amburendā præberet: ut in cubiculum non fratrē, non filiū, nisi, positā stolā, à satellitibus excussum & novā

indu-

indutum admitteret: ut cōjugis nunquam nisi excussæ cōplexū peteret; ut lectū cubicularē, quasi castra, latiori fossâ, quam pōte jungebat ligneo, cingeret, & interiorē januam claustris quām diligētissimē obseraret.

Sed in apertos prudentiæ campos nos ex spaciari jam tempus est. Hanc enim virtutē adeò conjunctam & familiarem esse Principi decet, ut à latere eius nunquā discedat, dictorum & factorum habenas regat, præterita in mentem revocet, è præteritis futura colligat & adversus omnes fortunæ impetus Principē muniat. Quam quoq; cauſam fuisse crediderim, cur auglostos *Mi-*  
*nervæ* (hoc prudentiam nomine indigitant) natales ex ipso *Jovis* cerebro deducerent Poetæ, *Jovisq;* perpetuam comitē fingerent, omnibus, ab ipsâ infantiâ, artibus imbutam. Viderūt enim solā hanc esse clavi gubernatricē, quâ publicæ rei cursum regat Princeps, quâ, tempestatib⁹ ingruentibus, ad portū deducat, quosvis vel occulatos scopulos declinet, & naufragiū evitet.

Namq;

Namque acutum cernit prudentia, non ea tantum, quæ ante pedes sunt posita, sed & quæ in abditis futurorum recessibus latet.  
 Hic oculatus ille, qui  
*Centum luminibus cinctum caput Argos  
 habebat,*  
*Inq, suis vicibus capiebant bina quietem,  
 Cetera servabant atq, in statione mane-  
 bant.*

Carere igitur virtute hâc Princeps noster non poterat, si Principis cunctis absoluti numeris prærogativam vendicare sibi poterat. Sed nec caruit: imo hâc parte, si ullâ aliâ, excelluit: ut qui, ex Senecæ præcepto, omnes vitæ actiones tribus temporibus dispensavit, præsentia ordinavit, futura prævidit, præterita recordatus est. De Oeconomicâ prudentiâ quid dicam? Quàm circumspectus ille in contrahendis matrimoniis! Quàm profundus virtutum fœminei sexus arbiter & æstimator! Bona omnia penes eam esse conjugem arbitra-

batur,

batur, penes quam virtus esset; defixa, non  
in externam duntaxat formā opumq; vim,  
quod extremæ imprudentiæ, sed in pietatis  
& probitatis è gestu, cultu, vultu & affatu  
emicantes radios, & oculorum & mentis  
acie. Atq; hâc providâ curâ id tandem est  
assecutus, ut ad Oeconomicæ felicitatis,  
quam & promittere & præstare conjugium  
potest, culmen ascenderit, sive mutuos vi-  
tae maritalis usus, sive amoris & concordiæ  
illibatae nexus, sive sobolis generosæ pro-  
ventus, sive domesticarum curarum suc-  
cessus spectes. Sed è domo caput proferen-  
tem & in publicâ principalium negotio-  
rum curatione enitentem videamus Prin-  
cipis nostri prudentiam: In hoc enim de-  
mum campo suas explicare vires & ostend-  
tare opes poterat. Leges non attingo, qui-  
bus principatus administrandi formā pru-  
dentissimè descripsit, quibus litium im-  
mortalitati sapientissimè occurrit, quibus  
effrænes improbitatis conatus sanctissimè  
repressit. Tempora prætero, in quæ in-

I

cudit,

cidit, longè difficilima, è quibus, nisi duce & auspice divinâ quâdam prudentiâ & providentiâ, eluctari nunquam potuisset. In consiliis negotiorum difficultates ponderantem, futura prospicientem, & suffragia sapientissimè ferentem intueamur. Est hoc in Principe nostro admirandum, quod deliberationum cunctarum scopos acutissimè pervidere, in hos consilia sua dirigere, exorbitantes aut aberrantes ad metam reducere solertiâ plusquam humanâ valuerit. Unde tanta ipsi ab omnibus tributa prudentiæ opinio, ut suffragia eius, veluti responsa olim è tripode emissa, cum singulari quadam veneratione, exciperentur, approbarentur. Docuerat enim eventus sæpenumerò, in ancipiti deliberationū fluctu & suffragiorum conflictu, à Principe nostri sententiâ magno causæ malo discessum esse, eximio verò, præter spē omnē, successu in eam itum. Planè ut cum *Theribazo Artaxerxis fortissimo Duce* cōparandus mihi videatur, quem in cōsiliis a-

deò

deò felicem fuisse scribit *Diodorus*, ut, quoties Rex iis uteretur, nunquam aberraret. Atq; ad tantæ quidem prudentiæ fastigium ascendit Princeps noster, cum aliarū virtutum, tum accuratæ & nativæ circum-spectionis gradu. Nec enim vel turpi & periculoso nimia credulitatis vitio incertos rumusculos captabat, vel impotētis animi impetu ad negotia temerè ruebat: morā & moderatione uti placebat, extrema nunquam, nisi extremā urgēte necessitate, tentabat. Malebat utiq; Princeps optimus exemplo Fabii

*Sistere cunctando Fortunam adversa  
tuentem,*

quàm temerario quodam ausu Fortunæ Rempublicam committere. Et hoc sibi nomine plures Germaniæ Principes obli-gavit, saluberrima consilia sugerendo, dis-sidia cōponendo, similitates tollendo, pa-cis bonum omnibus commendando, ita quidem ut laboribus & impensis parceret nullis. Illum sibi diem exoptabat, quo

elegantissimum Romani Imperii corpus  
pristinæ concordiæ restitutum, & mutuo  
membrorum omnium consensu beatum  
videret. Nec enim alienas illas putabat  
calamitates, sed proprias, cum Imperii se  
membrum agnosceret, & nîl magis quâm  
integri corporis incolumitatem & mem-  
brorum omnium harmoniam voveret.  
Non possum in hâc laudum materiâ præ-  
terire, quod ad rem vel maximè videtur  
facere. Tanta justitiæ, tanta prudentiæ  
opinio ex Imperii proceribus eos etiam,  
qui longâ rituum & dogmatum intercape-  
dine à Protestantibus sunt divisi, Principi  
nostro amoris vinculo conjunxit, & in ar-  
duis ipsorum controversiis arbitrum ac ju-  
dicem constituit ! Sic enim de Principe  
hoc statuebant, non permettere pietatem  
eius, ut ullo ductus affectu à justitiæ tra-  
mite vel minimum deflecteret; nec pru-  
dentiam illustribus documentis conspicu-  
am in sententiâ pronunciandâ posse hallu-  
cinari. Si ad insignem animi perspicaci-

am,

am, quam, efficaci nomine, *αγχίσιος* Graci appellant, sermo convertendus esset, finem oratio vix inveniret. Quis Principe nostro in ingeniis & affectibus animi dijudicandis perspicacior? Quis in conjectandis cujusq; moribus solertior & promptior? Non usum requirebat diuturnum ad animorum characteres & Icones pervidendos, aspectus & alloquium sufficiebat: videbat enim, quâ mentis erat acie, in oculis & fronte loquentem animum. Omitto hæc: ad alia propero: Jam enim dudum obloquentem audio. Ecquando tandem bellatorem nobis Principem commendas? quæ fortia eius facta commemoras? quos Martios spiritus prædicas? Ego verò, si vellem, vel verbulo me expedirem. *Aprobianum* Imperatorem illum laudatissimum pro Principe nostro loquentem adducerem. Namq; cum, ut parum pugnarem, quidam eum incesserent, *Imperatorem*, inquit, *me mater, non bellatorem*

peperit. Vox, exclamat quidam, clarissimo & Principis terrarum populi Imperatore digna. Quid nî ergo cum laude de Principe nostro usurpare idem possem? *Principem hunc non bellatorem, sed Principem mater peperit.* Quantæ verò iniqutatis, cum ad pacem natura hominem genuerit, gratae vocis præconio indignum vel minus dignum existimare, qui pacem sanctissimè coluerit, bellorum tempestates evitaverit, disfidia composuerit, &, quod cruento alii, ipse miti imperio obtinuerit? Sed si importuno flagitatori mos omnino gerendus, ne bellicam quidem virtutem, quam magnanimitatem & fortitudinem appellamus, in *Africanus* nostro jure desideres. Etsi enim ob maturas Principatus administrandi curas, quæ juvenem XX annorum exceperunt, non extera sequi bella, sed domesticam pacem colere & tranquillitatem patriæ tueri à summo imperiorum Moderatorē D E O

ipfi

ipſi indultum: egregia tamen bellicæ virtutis ſpecimina cum in pace, tum in bellorum finitimorum metu motuq; edidit. Statione non exiit, pectoris objectu populos ſuos vallavit, pro omnium incolumitate excubavit, ad animos ſumendos excitavit, omnis fortunæ ſocium promiſit, nec deniq; quicquam, quod fortissimum decet Imperatorem, prætermiſit. Non dicam jam quâm magno & imperterrito animo fuſceperit Ecclesiarum reformationem, à quâ nullo vel impendentis periculi metu, vel impedimentorum objectu retrahi potuit, ſolo nixus DEO, cui potius quâm hominibus auſcultandum existimavit. Politorum quoque negotiorum tractatione, animo non niſi forti magnoque, functus eſt, & eventus ei, qui Regum corda manu ſuâ versat, permifit, cujuſ auxilium ſibi ſuisque promiſit. Ne verò bellicarum virtutum laudes ſtudioſe nimis conſectando, despicatiuſ forte & ignobiliuſ pacis ſtudium habere

vide-

videar, ad alia me converto : quo enim plura delibare aggredior, eò me pluribus obrui sentio. Nullum fuit adeò infelix se-culum, quod Principum, saltem aliquo-rum, non commendârit liberalitatem : quâ Magnatum nonnullos ita gloriatos le-gimus, ut summas penè laudum suarum in liberalitate quæsiverint. Hinc audias Alexandrum *Magnum*, ingentis spiritus terrarum Principem, magnâ suâ gloriâ pre-dicantem, à nemine se unquam benigni-tate fuisse superatum. Audias Scipionem *Africanum*, cum fortè die aliquo ope-ram suam nulli contulisset, gravissimè & objurganter querentem, *quod amicis di-em amisisset*. Audias & Titum *Vespasia-num* humanissimâ voce exclamantem, non oportere quenquam à sermone Princi-pis tristem discedere, eundémq.; cum in-ter cœnandum diei acta revolveret, & nul-lum liberalitatis suæ specimen recordare-tur, in vocem illam memorabilem erum-

pentem.

pentem. *Amici, diem perdidit.* Si ex animo, cum CHRISTO Redemptore nostro, estimanda sit liberalitas, nec ab *Alexandro Macedone*, nec à *Scipione Africano*, nec à *Tito Vespasiano* liberalitatis studio superatum Principem nostrum dixerim, & vere dixerim. Quot enim pauperes locupletavit? Quot egenos sustentavit? Quot hospites excepti? Quem diem beneficentiae suæ concium non habuit? Quem tristem unquam à vultu & sermone suo dimisit? Evidem fateor, Principis hujus liberalitate factum, ut ingrato mihi moriendum sit: fatentur mecum, quos unquam bonæ fidei ministros habuit. *Gilliæ Agrigentinum* scribit *Valerius Maximus* propemodū ipsius liberalitatis *præcordia habuisse*, & quasi propitiæ fortunæ benignum sinum fuisse. Liberalitatis egregia, fateor, documenta dedit. *Animo erat, quam divitiis, locupletior: ali-*

K menta

menta inopiâ laborantibus, dotes virginibus paupertate pressis, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabat, hospites urbanis penatibus exceptos, variis munericibus ornatos dimittebat. Hæc Gillias Agrigentinus. Anne minora vel pauciora noster hic *Gillias*? Ne auribus quid videar tribuere, aut nimio fortè amoris affectu abreptus ex *musca*, ut ajunt, *Elephantem facere*, sermonem abrumpo, ad virginum, quas illustris habuit aula, ad pauperum, ad eorum, quos vel diluviorū, vel incendiorum, vel aliarum publicarum calamitatum incursus quassarunt, ad peregrinorum deniq; & hospitum testimonia provoco: hi laboriosâ me probandi operâ sublevent, dictis fidem faciant, & ab adulatio[n]is suspicione me vindicent. Habuit igitur *Gillias noster*, vel tuo, *Maxime*, judicio, ipsius propemodum liberalitatis præcordia, fuitq; benignus propitiæ for-

tune

tunæ sinus. Certum mihi exploratūmque est, quos benè de se meritos intelligebat, & verecundiores, quām ut peterent, noverat, ad petendum haud obscurè ab ipso invitatos, istis propemodū *Alexandri Severi* verbis. *Quid est, quod nihil iste petit?* an me vult sibi fieri debitorem? Petat, ne sit, quod privatus de me queratur. Ita nimirum liberalissim⁹ Princeps opes quaerebat, quod de *Cimone Gorgias Leontinus* prædicabat, ut uteretur, arcasque inexorabilibus claustris obseratas detestabatur, præstantiorem ratus liberalem impensam, quam tenacem custodiam. Sed vela contraho, ne in immensum evagetur orationis cursus. Ad alia contendo, ancipiti equidem animo & difficiili optione, in tantâ laudum copiâ. Protestor iterum, nec velle nec posse me in theatrum omnia producere. Nec tamen possum quin Principis nostri in se ipsum æquitatem prædicem. Obloquentem heic è Lycéo exaudire vi-

K 2 deor.

deor. Quàm tu Principis inseipsum æquitatem prædicas? Quid in uno admiraris, quod commune est omnibus? Novi equidem jam dudum *Peripatetico Senatui Populoq; placuisse, neminē posse inseipsum iniquum aut injurium esse.* Non me movet hoc Senatus-Consultum intra privatos *Lycéi* parietes natum, reclamante *Academiat Platonis*; Qui enim turpia prosequitur & animi candorem obnubilat, Platonicâ ratione injuriam insigniter sibi infert. Ab hâc injuriâ Principem nostrum merito suo vindico. Et primum quidem, cum nulla sit pestis, quæ majori impetu hominem adoriatur, quàm intemperantia, quæ modum in cibo potuq; observat nullum, & inimica rationi rectæ omnem animalium statum, è Tullii sententia, inflamat, conturbat, incitat, morborumq; & vitorum plastra advehit: Scitote Principem hunc tēperantiae laude vix ulli, quem quidem aularum splendori, & Magnatum

con-

consortiis augusti natales inseruerunt, secundum fuisse, & *Principum quoq; naturam paucis posse contentam esse*, exemplo suo docuisse. Non esse credo, qui dubitet. Si quis tamen ignoret, egregiae temperantiae indicia inde licet colligat, quod malis, quæ vel ingluviem vel ebrietatem comitantur, nunquam se infestari senserit. Integra & illæsa ipsi ratio constituit, quam expugnat ebrietas: affectibus nunquam indullit, quos suscitat ebrietas: occulta sanctissimo silentio prescit, quæ promitt ebritas: Spiritus ultra sortem non extulit, quos effert ebrietas: telum in innocentem non torsit, quod ministrat ebrietas: convitium nemini fecit, quod suggerit ebrietas: Principis majestate indignum nihil commisit, quod committit ebrietas. Ipsa verò corporis *læcia* quid aliud loquebatur, quam temperantiam? Nulli membrorum tremores; nulli capitis dolores: nulli articulorum labores; rarissimi deniq; corporis ardores; quos equidem tempe-

rantiæ exquisitæ testes reor locupletissimos. Quod si fortè ad liberiorem potum Magnatum invitaretur præsentia, ita morem gerebat, ut vim naturæ nullam inferret, sibi nunquam non optimè constaret, & boni se moris tenacissimum cunctis probaret. Quid dicam de animi candore & integritate germana? quam jure quodam hæreditario ab *Ascaniae gentis Proceribus* accepit, animoq; virtutū omnium feracissimo ita suscepit, ut non constantissimè tantum retineret, sed & copioso fœnore augeret. Quanta gestuum, ditorum & factorum in hoc Principe consensio! Quàm aperta frons, oculi, vultus! Animo detestabatur bicipites animos, falaces oculos, fucosam frontem, simulatos vultus. Quod animus premebat, frons oculi vultus significabant, lingua eloquebatur. Videbat enim, quàm turpis esset illa, & quàm scriptorum stylis confossa *Tiberii* simulatio, quàm omnes animi affectus occultabat, & adversâ fronte cum

volun-

voluntate orationem committebat : quod maximè expetebat , detestabatur , quod oderat , dissimulabat , iratus tranquillissimum præ se animum ferebat , inimicos amplexabatur , ut familiarissimos , amicissimos defugiebat , ut alienissimos : infami isto usus axiomate , *Principis animum nemini cognitum esse debere.* Cui noster contrarius animum suum omnibus volebat patere , ut haberent , quo de si bi gratularentur , boni , quod formidarent , mali .

Ut verò ex hoc laudum oceano ad portum tandem appellam , quæ latissimè diffusa sunt , in paucissima me posse contraherere arbitror , si bonis omnibus Principem nostrū impensè amatum dixerō . Non enim illustrius omnigenæ virtutis in homine testimoniū est , quām si optimo cuiq; probetur , nullâq; emolumenti spe concilietur : cum eos tantū boni sufficiant , Tullio judece , in quibus existimant se excellentes

*quasdam*

quasdam & singulares virtutes perspicere. Perspexere has in Principe nostro Imperatores, Reges, Electores, Principes, eumque ut amicum, ut fratrem suspexere. De Romanis Imperatoribus non dicam, quos non subjectissimo tantum cultu, sed & præclarâ virtutum principalium famâ arctissimè sibi devinxit. Hoc forsitan magis admirabimini, quod & exteri Reges Galliæ, Angliæ, & Daniæ, ut ipsorum testantur legati & literæ complures, amicitiâ suâ dignissimum Principem hunc judicârint. Adeò verum est, quod alibi *Tullius ait, propter virtutem ac probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo à nobis diligi.* Imperii Proceres quâm familiariter nostro Principe sint usi, longum nimis esset recensere. Non enim unus & alter heic nominandus esset, sed ad unum omnes: quorum augustis nominibus dum parco, non possum tamen temperare mihi, quo minus, cum subjectissi-

ma ve-

mae venerationis præfatione, præcelsa illa  
 Imperii columina, serenissimos Palatina-  
 tus, Saxoniæ & Marchiæ Electores Princi-  
 pi nostro familiarissimos fuisse, cum im-  
 mortalí eius laude commemorem. Testi-  
 moniis ad vos nullis est opus: res ipsa lo-  
 quitur: loquuntur literæ amoris & bene-  
 volentiaæ plenisimæ, eæq; frequentissimæ:  
 loquuntur visitationes haud infrequentes:  
 loquuntur deniq; transmissa fraternitatis  
 mutuæ insignia, quæ, ut vivus inferri in se-  
 pulcrum voluit, sic, eheu! mortuus intu-  
 lit, evidentissimo constantissimi amoris in-  
 dicio facto.

Fuere jucunditatis plena, nî fallor, quæ  
 de Principe haec tenus, oratione cursoriâ,  
 diximus. Utinam! utinam pari jucundi-  
 tate vestros deinceps animos implere, læ-  
 tosq; virtutum Principalium auditores &  
 spectatores dimittere liceret! Principem  
 hunc, perfectam boni Principis idéam, si-  
 quidem in hac mortalitate sperare immor-  
 talitatem, hoc est, vitæ hujus usuram per-

L petu-

petuam, nemini fas est, quis pluribus dignum seculis non iudicaverit? quis buccis plenis non acclamaverit? *vivat Princeps, vivat Princeps.* Sed ô celeres bonorum dies! ô citata optimorum Principum curricula! Eheu occidit! occidit laudem nostrarum materies! Illustrissimæ Domus Anhaltinæ capit: Patriæ Pater; bonorum Spes: afflictorum solarium. Eheu occidit illud Ascaniaæ gentis fidus, cuius splendore, quicquid tenebris obfussum, quondam illustrabatur, cuius calore, quicquid frigore oppressum, quondam fovebatur! Eheu obseratum os illud quondam mellifluum; occlusa manus illa quondam beneficia, obfuscato vultus ille quondam radiantissimus!

Est ille quidem occasus, si superstites nos intueamur, modis omnibus deplorandus: sin vero fato functum, votivâ acclamatione quem prosequamur longè dignissimus. Ut enim ingressus in hanc vitam memorabilis, ut progres-

sus

sus in eâ laudabilis, sic & egressus ex eâ prorsus admirabilis. Solent præcelsæ mentes, ut sunt singulari Deo curæ, sic & singulares quandoq; Numinis afflatus sentire, futura prævidere, & instantia sibi Fata præsentiscere.

Fatalem sibi fore Pentecostes diem, quatri duo ante obitum, prædixerat excelsus ille & generosus sanguis J O A C H I MUS ERNESTUS optimi nostri Principis filius optimus. *Euricum Vestgothorum Regem* pietatis, justitiæ & clementiæ laude insignem, convocatis ad se Proceribus, prædixisse scribunt, ad nonum diem è mortali vitâ se migraturum: inde *Alaricum* filium hæredem constituisse, imperandi præcepta dedisse, ministrorum Dei & consiliariorum observantiam præcepisse, ad justitiæ, Clementiæ & liberalitatis studium, patheticâ oratione, inflammâsse.

Videor mihi, auditores, vivam Regis hujus in Principe nostro imaginem intu-

L 2 eri:

eri: adeò communia utriq; examus sim omnia. Ad debitum enim mortalitatis æterno illi animarum creditor & conditori exolvendum ne imparatus accederet, arcano Numinis afflatu, toto proximè elapsò anno, aurem sibi vellicavit, de domo curandâ solicitus, mortisq; quæ nullis adversæ valetudinis indiciis se prodebat, meditationibus occupatus. Inde Testamentum mature condere, litium segetem præcidere, de tranquillo Principatu ad filios transmittendo cogitare, præcepta filiis dare, & intimos fidei ac confessionis suæ orthodoxæ, si forsitan edendæ eius facultas per morbi, quicunque tandem ille futurus esset, difficultates non daretur, testes nominare, & ad supremi judicis tribunal citare. Mirabantur, quotquot ominosas hasce voces ex incolumi & vegeti roboris Principe audiverant, quid portenderent, secum disceptabant. Cum verò ad fatalē metam magis magisq; appropinquaret, plura iudicis & certiora, integrâ adhuc

vale-

valetudine , promebat indicia. Ministros verbi, triduo ante decubitum, ad se vocabat, de mortalitate & vita caducæ fluxu graviter cum iis disserebat, in hortum abducebat, flosculos hinc inde varios decerpebat, & cum momentaneo vita lapsu conferebat: se floribus istis similem praedicabat, & sorte cum iis pari ad occasionem properare. O beatum Principem, qui mortuus est prius quam moreretur, ut à moriendi necessitate liber esset, quando moreretur ! Eheu ad ultimas vita lineas proprius accedimus ! Vicesimus nonus currentis modo MDCXVIII anni, Aprilis ibat: En Principis nostri corpus horrore febrili succussum. Primus Maji , repetito Paroxysmo, indicium tertianæ facit; conjecturas tertius firmat, quo Dominicam precationem Princeps recitat, &, eleganti paraphrasi singulis petitionibus adjectâ, prophetico spiritu illustrat; verba illa, fiat voluntas tua, è profundo pectore, oculis in cœlum conversis, educit; ad fata-

L 3 lem

lem metam se appropinquare astantibus significat : ad dilectissimam conjugem & filios conversus , si quid monendum aut interrogandum habeant, mature faciant, dum respondendi adhuc sit facultas, hor-tatur. Quàm animos vocibus hisce at-tonitos & percuslos existimatis? Inter an-cipitem vitæ spem mortisque metum ut septimus illuxerat, qui morbi dies erat no-nus , Paroxysmo quintūm iterato , o-mnia in peius reure , vires prætermodum debilitari , & moriendi desiderium ægro-to crescere. Videt lecto circumfusam dulcisimam conjugem, inconnivæ vigiliæ oculis , pertinaci labore , non sine in-genti omnium admiratione, excubantem ; suavissimam sobolem ingenua prolapsam, frequentem ministrorum turbam in lacry-mas effusam. Interea verò inaudita in Prin-cipe animi magnitudo se exerit. Ab eju-latu & fletu muliebri, viribus penè ultra vires recollectis, circumstantes deborta-

tur,

tur, & qualem omnibus moriendi necessitatē incumbere demonstrat, & mæstissimam conjugem suavissimo affatu compellat, ad animi præsentiam excitat, Altissimo commendat, Regnum suum non esse de hoc mundo pronunciat, & triduo ante obitum extremum vale conjugi, soboli, ministris, usitatâ sibi comitate & humanitate, dicit: ad momentaneâ vite officia ne inhumanâ humanitate reducere immortalitatijam propinquum laborent, rogat, quin potius suæ se quieti permittant, & in officioso officio ne turbent. Tandem XIII. Maji, cum inclinata jam omnia animadverteret, secundum vale dicit Conjugi, Soboli, verbi ministris, medicamenta deprecatur; ægrōque spiritu ad solam solam immortalitatem anhelat, judicio ad extremum usque hælitum illæso & integro. Dū verò omne vocis iter jam præcluſum circumstantes arbitrantur, en subito,

mani-

manibus complicatis in verba hæc diserta  
erumpit, DOMINE JESU IN MA-  
NUS TUAS COMMENDO SPIRI-  
TUM MEUM, & paulò post, recorda-  
tus dubio procul Dominicæ Ascensionis,  
quam proximè sequenti die celebratura e-  
rat Ecclesia, ASCENDAM US, AS-  
CENDAMUS. O felix & beatum de-  
siderium! quod ipso Dominicæ Ascensio-  
nis die, (qui XIV Maji, quo è sacro ba-  
ptismi fonte Princeps idem olim levatus)  
completum vidimus. Hujus enim diei  
horâ XI, antemeridianâ, quâ ætatis anno  
LI completo, dies quinque & horam u-  
nam addiderat, inter frequentissima ad  
Dei Filium suspiria, animam Deo credito-  
& creatori suo placidissimè reddidit, tri-  
umphoque de mortalitate aëto, ad beatam  
immortalitatem cum CHRISTO Redem-  
tore ascendit.

Tibi quidem, ô beatissime Princeps!  
sortem tuam felicissimam non invidemus,  
sed & nostram nos deplorare acerbam

for-

sortem, in quam tuo ex hoc mundo abitu  
 conjici nos videmus, haud ægrè feres. Non  
 enim nescii sumus ominosas esse bono-  
 rum Principum mortes, & vel impenden-  
 tibus calamitatibus eos subtrahi, vel ma-  
 gno mortalium malo ante diem subduci,  
 ut cæso pastore, greges palabundi dissi-  
 pentur. Nec fore credo, qui questum vi-  
 tio nobis vertat, cum largissimas ipsum-  
 met cœlum, ab obitus tui momento, in  
 hunc penè diem lacrymas effuderit, & irre-  
 parabilem hanc jacturam deploraverit.  
*O dulce decus & præsidium Anhaltinae  
 Domus!* Adeóne mature lapsantibus  
 rebus subtraheris? Adeóne dilectissimam  
 olim Conjugem profundis immersam do-  
 loribus, tuoque corpori ad extremum usq;  
 halitum adhæresentem deseris? Adeó-  
 ne suavissimam sobolem vix dum paterni  
 nominis delicias gustantem destituis? Ad-  
 eóne amicissimo Fratrum tuorum consor-  
 tio, in primo senectutis liminē, valedicis?  
 Adeóne Principatus tui naviculam, excus-

M

so gu-

so gubernatore , fluctuantem relinquis ?  
 Sed quò miser ego delabor ? Tu D u c i s su-  
 premi jussa sequeris , & affectu longè di-  
 viniори conjugem , sobolem , Fratres &  
 subditos prosequeris . Tu Filiorum tuo-  
 rum curam geris , & sapientiæ Spiritu ex  
 alto ut induantur votis ineffabilibus pe-  
 tis . Tu subditis tuis Principem paterna  
 per vestigia ad avitæ gloriæ fastigium eni-  
 tentem voves . Quod nisi planissimè per-  
 suasum nobis habeamus , iniqui certè pie-  
 tatis tuæ æstimatores erimus .

Ad te verò , Celsissime D E U S , men-  
 tes vocesque nostras convertimus . Tibi  
 paterni principatus & virtutis hæredes J O-  
 H A N N E M C A S I M I R U M & G E-  
 O R G I U M A R I B E R T U M , Princi-  
 pes ætate florentissimos & indole genero-  
 fissimos devotis pectoribus commenda-  
 mus . Conserva , quæso , præstantissimos  
 hosce surculos , utque paternam quondam  
 & avitam majestatem sustineant , clemen-  
 ter largire . Effunde in eos sapientiæ tuæ

Spiri-

Spiritum, quo donati intra sanctissimæ tuæ legis orbitam se contineant, quæque divino tuo nomini gloria, Ecclesiæ salutaria, Reipublicæ necessaria, & subditis proficia sunt, perspicaci mente videre, propensâ voluntate suscipere, & constanti studio persequi valeant; ut vivam Patris imaginem in Filiis subditi agnoscentes humilimo ipsos obsequio, & Te, sub eorum tutelâ, religioso & sincero cultu venerentur. Solare mœstissimam viduam, & afflictissimam sobolem, divinæque tuæ voluntatis consideratione & præsentis spe auxilii jacentem erige,

Cumq; jacturam hanc inæstimabilem Fratres illustrissimi, Domini nostri Clemētissimi profundis deplorent suspiriis, per tuæ te commiserationis viscera obtestamur, ut roboris tui Spiritum iis impertias, quò, magnitudine mœroris superatâ, tranquillis tandem animis in sapientissimâ & justissimâ tuâ voluntate acquiescant. In his conserva Illustrissimam & an-

M 2 tiquis-

tiquissimam Principum Anhaltinorum familiam. Per hos conserva Ecclesiæ purioris in hâc Europæi orbis particulâ hospitium, quod ante annos centum aperire cœpisti. Conserva scholas & hoc in primis illustre Gymnasium divinæ tuæ veritati illustrandæ destinatum. Conserva tribunalia, quorum auspiciis veritas, justitia & pax passim sibi occurrant, se mutuo osculentur, & Te bonorum omnium fontem inexhaustum prædicent, ad Sanctissimi tui nominis gloriam. Amen.

### D I X I.

Sed quid dixi?

**Æ** Ra Polycletus *virvos spirantia vulnera* (tuos.

*Divinus ducat, Dive G E O R G E,*  
*Pyrgotelesq; caput vivo calamine divū*  
*Divinus formet, Dive G E O R G E, tuum.*  
*Artifici vivam calamo divinus Apelles*  
*Describat facie, Dive G E O R G E, tuam-*

Gran-

*Grandiloquus mentem divino Tullius ore  
 Orbi cōmendet, Dive GEORGE, tuam.  
 Grandia qui grandes, Mundo auscultan-  
 te, loquantur,  
 Eloquio grandi, Dive GEORGE, tua.  
 Mente mīhi fas sit totum pressisse silenti,  
 Quod vox desperat, Dive GEORGE,  
 loqui.*

PROGRAMMA.

R E C T O R  
 G Y M N A S I I   S E R V E S T A =  
 N I , S T U D I O S I S   S A L .

**M**ortes honorum Principum mœrere  
 antiqui moris & juris est: haut equidem ut mortuo-  
 rum, sed ut superstitione deplorentur fata: Effet enim  
 illud vita beatissima & extra omnem mortalitatis alcam posi-  
 te usuram invidere; hoc ingratā prorsus & insanā mente irre-  
 parabilem jacturam non pervidere. Utrumq; ē se crimen ut a-  
 molirentur cultiores seculorum ferē omnium gentes, prosperā  
 quidem famā & honoribus vel Augustos vel amicos suos profe-

qui, sed & acerbi indicia doloris edere consueverunt. Magnus illa gentium domitor Alexander Macedo Hephestionis amici sui morte n adeo graviter tulisse scribitur, ut eorum jubar ad cūtem usq; tonderi, & turrium pinnas murorumq; propugnacula exturbari iussit, quo ipsa etiam mania desiderio Hephestionis amici sui affecta viderentur. Utq; inestimabilem eius jacturam insigni amoris indicio amplius testam faceret, in monumētum eius extruendum decem millia talentū, hoc est, sexies millena millia coronatorum insumi voluit. Adeo pretio sa boni & viri & Principis est virtus, ut nullo auri pretio equi parari possit! Adeo occasus lugubris, ut eae tiam, in quibus nulla est sensus vis, doloris quandoq; & mororis jubeantur indicia promere! quin & monte haud raro promart. Exempla ex omni antiquitate frequentia colligere nostri non est instituti. Sufficiat imprestantiarū, & omnium instar sit, horrenda illa solis eclipsis, qua, CHRISTO animam in cruce agente, horrorem universo orbi incusit, causis certe, non naturalibus, sed naturae limites excedentibus, & iniquissimam, si homines respicias, innocentissimi CHRISTI mortem deplorantibus excitata. Jam ante nostros que posita sunt pedes oculisq; obversantur, mente non levā intueamur. Quid quoq; causa pueris fuisse, cur proximè elapsis diebus compluribus astive facie amanitas vel exentis Autumni, vel incuris Hyemis tristissimos vultus induerit? Quid causa, cur solis sublimes vias jam incedentis jubilar atro nubium velo involutum rarissimos in orbem radios, per dies aliquam multos, infuderit? Quid causa, cur continuis & largissimis quasi lacrymarum imbris, preter morem, estivus aer terram penè eliquarit? Funeris, funeris Illustrissimi Principis, Domini JOHANNIS GEORGII, Principis Anhaltini, Comitis Ascaniae, Domini Servestae & Bernburgi, indices tristissimi. Tanti Principis exanime corpus nec tempora fin-

ra sine mutato nature cursu, nec sol sine radiorum contractio-  
 ne & obfuscatione, nec denig. Cæli sine copiosâ lacrymarum ef-  
 fusione intueri sustinuerunt. Et nos rationis & consilii partici-  
 pes creature siccis hec omnia oculis usurpemus? Nisi forte fata-  
 les optimorum Principum occasus impendentium calamitatum  
 prænuncios esse diffideamur, & veluti papaverum, ira & Ma-  
 gnatum capitâ, sine publicorum malorum omne, inclinari ne-  
 fariè & prorsus αλόγως arbitrenur. Quid enim, queso, boni  
 Principes? nisi indecessi publicarum molium Atlantes: nisi for-  
 tissimi pacis & justitiae præpugnatores: nisi humani generis, velu-  
 ti gregis variis erroribus & rapacissimarum ferarum incursioni-  
 bus obnoxii, pastores: nisi vigilantisimi vita, fame, fortuna  
 rumq; nostrarum custodes. Tollite Atlantes: dimittite propu-  
 gnatores: ejicite pastores: custodes removete. Quid tandem de  
 publicarum molium machinâ, quid de pace & justitiâ, quid de  
 grege palabundo, quid de famâ, vitâ, fortunâq; nostris siet?  
 Quodigitur de amicitiâ ait Tullius, solem è mundo tollere, qui  
 amicitiam collunt, de bonis Principibus longè dici potest rectius:  
 Sunt enim bi ipsiusmet amicitie conciliatores: qui si tollantur,  
 tenebris omnia & horrendo diis sidiorum frigore stupere necessum  
 est. Sed ad beatissimum nostrum nos Principem convertamus,  
 quem rebus humanis, postea tis annum L I, exemptum vidit anni  
 modo currentis M. DC. X V I I I. decimus quartus Maji, Domi-  
 nicâ ascensione sacer: humatum bujusdem anni X VI. Junii.  
 Heu quantum Principem! Caput antiquissime & illustrissime  
 Anhaltinae familie: literis optimis à teneris ad miraculum im-  
 butum: profundâ rerum Theologicarum cognitione preditum:  
 divinae veritatis propugnande & propagande Zelo inflamma-  
 tum: civili prudentiâ rerumq; gerendarum solertiâ ita instru-  
 etum, ut in deliberationibus nemo acutior, in primis aggressio-  
 nibus nemo circumspectior, in executionibus nemo felicior. Unde

in esti-

inestimabilem jacturam estimare cuius in promtu est. Si, quae ordinem vestrum proprius concernunt, desideratis, in hoc ipsum Gymnasiū oculos vestros convertite. Quod hospitio & mensā plerig; fruimini liberali, Principiū hujus munificentie debetis. Cum enim, Patre JOACHIMO ERNESTO, laudatissimo Gymnasiū hujus Fundatore, ante annos XXXII, fatis functo, Anhaltini Principatus gubernandi curas ordiretur, antiquius nil priusve cogitatione, de Ecclesiarum réformatione & Scholarum incrementis, habuit. Anno igitur M.D.LXXXVIII. postquam sacri Baptismi Ἀδελάσημα, Exorcíum ex Ecclesiā ejeccerat, & , veluti spuriū Romana Ecclesia partum, ad autores suos remiserat, sequenti M.D.LXXXIX, curam ad hoc illustre Gymnasiū amplificandum contulit. Cumq; pauperiem plerung; studiose juventuti obstatre animadverteret, de hospitio liberali aperiendo caput cogitare, tandemq; , omnibus ad rem pertinentibus procuratis, ejusdem anni IX. Martii gratitati convictus initia fieri voluit. Videlis ergo, vel hoc solo nomine, beatissimo Principi ita vos obligatos, ut quodvis subjectissima & veneratio obsequium repeteret a vobis, jure meritisimo, possit. Nec est, quod quis forte iniquior estimator hanc erga Illustrē Gymnasiū munificantiam etatis juvenilis (vix enim XXII. etatis tum annum excessarat) fervorem, qui temporis progressu defervescere se numero assolet, interpretetur. Quod enim prudenti consilio olim liberalitatis sua tropeum in hoc Gymnasio erexit, constanti studio, cum illustrissimis fratribus, Dominis nostris clementissimis, in hunc usq; diem, conservavit, de studiose juventutis educatione & institutione liberali per quam solitus. Plura de Principe laudatissimo hęc prefari alienum ducimus: alterius enim loci & temporis hac opera est. Ut igitur Ἀgyptii olim Regum suorum defunctorum facinora in publico prædicare, ut Graci viros fortes profunere laudare, ut

Roma-

Romani pro Rostris Ducum suorum facta celebrare, ut denique primitiva Ecclesia Martyrum virtutes grato praconio commemorare, more pio & laudabili, consuevit: sic & mibi Principis nostri beatissimi felicissimos Manes funebri praconio ad XXX Junii horā VIIII matutinā, in illustri Gymnasio venerari deliberatum certumq; est. Huic me operi dum accingo, vestram requiri presentiam video, quam & hoc programmate, ex officii ratione, una cum debiti mororis, quem gestus, vultus & corporis cultus loquantur, significacione à vobis exigo. Alios florentissima hujus Reipublica cives, qui vel olim Gymnasi hujus frequere membra, & illustris munificentie & participes facti ultimum hoc humanitatis & subjecta devotionis officium beatissimo Principi debent, vel certè humานioribus imbuti sunt lieris, quorum in hac Republicâ numerus haud exiguis, ad orationis nostræ exequiæ auscultationem amicè invito, & forte promitto, ut intelligant, eum nos amisisse Principem, cuius obitum graviter ferre Imperium, deplorare Schola & Ecclesia, omnesq; boni & hujus imprimis Anhaltinus incola marere merito debeat. Val. Dab. XXVIII. Junii Anno M. DC. XVIII.

Ne postremæ facies vacuæ restarent, libuit insignia quædam Patrum dicta, de æternâ Beatorum felicitate, subjicere.

Augustinus lib. contra Judæos  
cap. 21.

**Q**uantum autem distet inter hanc & illam (vitam) debet nosse charitas

N

ve-

vestra. Hic falsitas, ibi veritas: Hic perturbatio, illic fida professio: Hic pessima amaritudo, illic sempiterna dilectio: Hic periculosa elatio, illic est secura exaltatio: Hic timetur, ne, qui erat amicus, efficiatur subito inimicus, illic semper manet amicus, quia nullus illuc admittetur inimicus: Hic quicquid est bonum, timetur ne pereat, illic quicquid acceperis, ab illo servaberis, qui fecit ut ne tu transeas, & quod acceperis, non amittas: Hic mors, illic vita.

Idem ibidem.

**Q**uale gaudium erit, cum te videris esse socium Angelorum, participem regni cælorum, regnare cum Rege, nihil concupiendo omnia possidere, sine avaritiâ divitem, sine pecuniâ administrantem, sine successore judicantem, sine metu barbarorum regnantem, sine morte æternâ vitâ viventem!

Idem

Idem in Psalm 85.

**I**n alio seculo quiderit? Quod negotium nostrum? Quae actio nostra? Nulla actio, quia quies. Sedeimus ergo & torpebimus, & nihil agemus? Si refrigescit amor noster, refrigescit & actio nostra. Amor ergo quietus in vultu Dei, quem modo desideramus, cui suspiramus. Cum adeum venerimus quomodo nos accendet, in quem nondum visum sic suspiramus? Cum adeum venerimus quomodo nos illuminabit? quomodo nos mutabit? Quid de nobis faciet? Quid ergo agemus fratres? Psalmus nobis indicat. Beati qui habitant in domu tua. In secula seculorum laudabunt te. Hec erit actio nostra, laus DEI.

Macarius Homil. 15.

**S**i quis abeo tempore quo conditus est Adam, usq; ad finem Mundi militasset

N 2 contra

contra Diabolum & omnes acerbitates,  
omnes dolores cruciatuſq; pertulifſet, nihil  
tamen magnum feciſſet respectu gloriæ  
quām consecuturus eſt, & in qua in-  
finitis ſeculis regnabitus cum  
Christo.

F I N I S.



Nh 122

ULB Halle  
002 714 272



3

St

VDTZ



B.I.G.



## Farbkarte #13

